bet irrogare, numquam videlicet illuc animo redeundi, illam etiam oblivifcendi, & ſuffocandi omnes naturales, humanaſque affectiones, quæ ſæpe efficiunt, ut religioſus, quemadmodum S. Bernardus ait, gerat cor fœdatum, & corruptum ſub ſpecie, & cortice vitæ auſteræ, ac ſpiritum penitus ſæcularem ſub religioſo indumento. Quantumvis æquæ, & culpa vacuæ hæ videantur neceſſitudines, quæ cum mundanis foventur, quantumvis eas reliquerimus, ut noſmet Deo devoveamus: certum eſt has ſenſim, & ſine ſenſu nos ab illius avellere cultu, in nobis charitatis ardorem extinguere, & cauſam eſſe, quod pleraque ſacrificia noſtra ſimilia ſint illis miſerorum Iſraelitarum, qui vix Domino ſacra obtulerant in actionem gratiarum, eo quod ipſos de ſervitute eripuerat, cum reverſi ſunt corde in Ægyptum, & idolo thus adoleverunt. In hujuſmodi familiaritatibus omnis amittitur ſolitudinis ſpiritus, memoria oppletur idea creatarum rerum, quæ relictæ fuerunt; habitus antiqui iterum excitantur, & cor omnibus æſtuat cupiditatibus, quibus agitantur, qui in mundo ſunt, quin ſit in mundo.

Averte oculos meos ne videant vanitatem. Pſal. 118. Ita David orabat Deum. Heu! quamdiu Principis hujus oculi intenti fuere, ut hæc funeſta objecta intuerentur? Quoties cor ejus expertum eſt vividas voluptatum, & vanitatum mundi impreſſiones? Tu vero, ſoror mea, ex quo ſpiritus tuus apertus fuit luminibus rationis, ſenſiſti manum Domini te attrahentis ad ſe, ut te in penitioribus tabernaculi ſui adytis abſconderet. Avertit oculos tuos ab objectis fallacibus, quæ fortaſſe cor tuum ſeduxiſſent: neque aliis occupata rebus fuiſti, quam pulchritudine domus Dei, & requie Sanctuarii ipſius. Incipiebat ſe mundus oſtentare tibi per ea, quæ in ipſo ſunt illecebrarum pleniſſima, & niſi maturato Deus avertiſſet inde oculos tuos, amaſſes vanitatem, non ſecus ac aliæ plurimæ ætatis, ſexus, & generis tui.

Deus eum, quem ad Religionem evocat, aliis plurimis prætulit.

Elegit te Dominus, ut ſis ei populus peculiaris. Deut. 26. Ita eſt, Deus te prætulit tot aliis, quos eligere poterat, ſicuti elegit te, & quos inter mundanæ vitæ impedimenta perire ſinit. Hæc eſt prælatio bonitatis, quam hic unus miſericordiæ Deus facere poteſt. Cum homines nos præferunt aliis, id agunt, quod nos ſuis conſiliis utiliores, vel amore ſuo digniores exiſtimant; ſed Dominus prælationem noſtram in ſua tantum miſericordia conſtituit. In oculis ejus æque ſumus beneficiis ipſius indigni, cumque ex nobis nihil ſimus, non aliud habemus meritum, quam quod ejus nobis confert electio. Quis ergo te a tot aliis ſecrevit, qui cum eaſdem, ac tu, haberent ad religionis ſtatum diſpoſitiones, in procelloſo mundi pelago permanſerunt? Gratia tua, Domine, tibi dicendum eſt, me a pueritia prævenit, meque prætulit tot aliis, qui æque digni erant, atque ego. Me autem inter tot alios elegiſti, quia voluiſti. Hæc ſunt immenſi tui amoris ſecreta, quæ ſcrutari creaturæ non licet; ſed quæ me humiliare debent, atque impellere, ut tibi æternum gratias agam. *P. Maſſillon.*

Ille, qui a Deo ad Religionem vocatur, vocationi ſuæ eſſe debet fidelis.

Vocabis me, & ego reſpondebo tibi. Job. 14. Hoc dicendum eſt ab eo, qui ad religioſum ſtatum vocatur, ut ſe vocationis gratiæ fidelem exhibeat. Vocaſti me, Domine, & conjeciſti in me oculum amoris tui, qui a corrupta ſæculi maſſa me ſeparat: ego vero in animi grati monumentum tibi ſacrificare volo, quidquid pro me mundus habet illecebrarum. Vis me ab illius nequitia, & corruptione præſervare; ego vero illius pompas, & vanitates tibi immolare volo. Tu me ab eo liberas, ſcis enim hunc eſſe mihi inimicum; ego vero ab eo ſecedere volo, quia novi, hunc eſſe inimicum tuum. Huic mundo, quantumvis vanus ſit, non deeſſet fortaſſe, unde me alliceret: neque enim ita durus ſum, ut illecebris illius non afficiar. Omnes ſenſus mei pro illo mihi loquuntur. Sed tuus eſt inimicus, Domine; perfidus odit te, & tu illum odiſti; horret inſtituta tua; tu mihi teſtaris neminem & illius, & tuum eſſe poſſe amicum. Ho ſatis, ut omnem cum illo conſuetudinem intermittam. *P. Cheminais.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, et Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

HAnc vitam, hunc Ordinem, hoc Inſtitutum (Religioſorum) ſi laudare velim, neque digne valeo. Auguſt. de moribus Eccleſ. cap. 31.

Proponuntur conſilia in lege Evangelica, non ut novum nobis onus imponatur, ſed ut juvemur ad onus mandatorum melius ferendum. Idem, Serm. 9. de verbis Domini.

Non putemus tantum effuſionem ſanguinis eſſe martyrium; ſemper eſt enim martyrium Chriſtianis ac Religioſis. Idem, vel Author Serm. ad Fratr. in Eremo.

Felix neceſſitas, quæ ad meliora compellit! Epiſt. 45.

Horum opes ſunt in paupertate, poſſeſſio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in cœlibatu. Gregor. orat. 12.

Qui deliciis minime ſtudere pro deliciis habent, qui regni cæleſtis gratia humiles fiunt, qui in mundo nihil habent, et ſupra mundum exiſtunt; qui pro portione Dominum habent, qui propter regnum cæleſte inopia laborant, et per inopiam regnant. Idem, ibidem.

Quod faciunt Angeli in Cœlis, hoc Monachi faciunt in terris. Hieronym. in Pſalm. 115.

Certe flos quidam, & pretioſiſſimus lapis inter eccleſiaſtica ornamenta Monachorum & Virginum chorus. Idem. Epiſt. ad Marcellam.

Prima virtus Monachi eſt contemnere hominum judicia, & recordari Apoſtoli dicentis, ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Idem, Epiſt. 26. ad Pammachium.

Jam incipio Chriſti eſſe diſcipulus, nihil eorum, quæ ſunt in mundo, deſiderans. Ignatius Martyr, in epiſt. ad Roman.

Chriſti jugum ſuave eſt, ſi ornamenta putes cervici tuæ eſſe, non onera. Ambroſ.

Sicut e ſummo montis vertice proſpectantibus omnia puſilla videntur, ſic Religioſi animo in Cœlis habitantes, omnia terrena quaſi parva & vilia deſpiciunt. Chryſoſt. Homil. 15. ad popul. Antioch.

Reliquis procella & fluctibus jactatis, Religioſi ſoli in tranquillo portu & ſecuritate ſumma, in Monaſteriis reſidentes, velut ex cœlo ipſo, cæterorum naufragia proſpectant. Idem, lib. 3. adverſ. Vituperat. vit. Monaſt.

Attendamus nobis ipſis, ne forte dum anguſtam & arduam viam nos pergere aſſerimus, latam & ſpatioſam viam teneamus. Joan. Climachus, Gradu 2. & 23.

Religioſi ſunt illi, qui ſe ſuaque divino ſervitio mancipant, quaſi holocauſtum Deo offerentes. S. Thomas, 2. 2. Quæſt. 186.

Religio ſancta, in qua homo vivit purius, cadit rarius, ſurgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quieſcit ſecurius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copioſius. Bernard.

Quid ſibi vult, quod eadem promiſſio facta eſt pauperibus & martyribus, niſi quia vere martyrii genus eſt paupertas voluntaria? Idem, Serm. 1. de Sanctis.

Genus martyrii eſt ſpiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius. Idem, Serm. 30. in Cantic.

Infirmis & puſillis corde neceſſe eſt, ut quem ſemel ponere pro Chriſto non ſufficiunt, ſaltem minori quodam ſed diuturniori martyrio ſanguinem fundant. Idem, Serm. de S. Benedicto.

In humanis rebus, & in hac peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in ſe imaginem cæleſtis patriæ, quam Monaſtica converſatio, & congregatio divino cultui addicta. Laurent. Juſtinian. de Monaſt. perfect. cap. 6.

Quos, quo nomine appellem neſcio, homines cæleſtes, an Angelos terreſtres, degentes in terris, ſed converſationem habentes in cœlis. S. Bernard. vel alius Author, ad Fratr. de monte Dei.

Ad ſerviendum veniſti, non ad regendum, ad patiendum & laborandum ſcias te vocatum, non ad otiandum & fabulandum. Imitat. Chriſti, lib. 1. cap. 17.

Vita boni Religioſi omnibus virtutibus pollere debet, ut ſit talis interius, qualis videtur hominibus exterius. Ibidem, cap. 19.

Cogita frequenter ad quid, & cur ſæculum reliquiſti? Nonne ut Deo ſervires, & ſpiritualis homo fieres? Ibidem, cap. 25.

O grata & jucunda Dei ſervitus, qua homo veraciter efficitur liber & ſanctus! Ibidem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum poſſit depromi.

Religionis, ordiniſque religioſi definitio.

RELigio eo in ſenſu, quo iſtic accipimus, non aliud eſt, quam certus vitæ ſtatus, in quo chriſtianæ religionis perfectionem tenditur per vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, quæ ideo religionis vota dicuntur.

Ad hujus definitionis elucidationem 1. Non dicitur, quod qui hunc ſtatum ingreſſus eſt, ad perfectionem pervenerit; Religioſus non tenetur eſſe perfectus, neque ſe perfectum eſſe profitetur, ſed ad perfectionem toto niſu contendere, & adſpirare debet, ut ſuo ſatisfaciat officio, ac muneri. 2. Dicitur ſtatus, quia in illo firmitas, duratio, & perſeverantia ſunt neceſſariæ: namque aliud eſt eſſe perfectum, aliud vivere in ſtatu perfectionis. Exempli gratia homo alteri paret homini, quamdiu ſibi parere placuerit, neque ideo ſtatum, vel conditionem mutat, ſed oppoſitum accidit, ſi in omni vitæ ſuæ ſpatio ſeſe illius addicat ſervituti. Ita actiones religioſæ per ſe religioſum non conſtituunt, niſi duæ iſtæ conditiones inveniantur, quarum altera eſt, quod hic illas ex voto faciat, quin ipſi integrum ſit eas relinquere, vel etiam earum voluntatem habere; altera vero eſt, quod hæc obligatio non ſit ad tempus, ſed pro toto vitæ decurſu, tunc enim propter firmitatem, atque immutabilitatem, hoc vitæ genus fit ſtatus, 3. Accedat neceſſe eſt Summi Pontificis approbatio, ſine qua ordo religioſus non eſſet, neque in eccleſia reciperetur veluti religio, ubi ſolemnia vota emitterentur.

Quænam ſit perfectio ad quam religioſus tendere debeat.

Perfectio, ad quam religioſus per ſtatum ſuum tendere tenetur, eſt charitatis perfectio. S. Thomas 2. 2. quæſt. 86. art. 7. ait: *Religionis ſtatus eſt quodam exercitium tendendi in perfectionem charitatis, ipſa perfectio charitatis eſt finis ſtatus religionis.* Religioſus ſtatus iis vacat exercitiis, quæ ad charitatis perfectionem veluti ad ſtatus hujus finem adducit; huc tendere debet religioſus; hic finis eſt, ad quem curas omnes debet impendere. Quamtumvis autem chriſtianus quilibet ex ſpiritu chriſtianiſmi, & chriſtiani qualitate ad charitatem tamquam ad legis finem, uti eam Sanctus Paulus appellat, tendere debeat; tamen religioſus id facit, & facere debet modo prorſus alio; & hac de cauſa, ſicuti S. Thomas animadvertit, dicitur religioſus, quia cum aliquid pluribus convenit, hoc tribuitur, & præcipue ſpectat ad eum, a quo perfectiori modo poſſidetur.

In quo ſita ſit obligatio qua religioſi ad perfectionem contendere debent præ cæteris.

Per occaſionem eorum, quæ a S. Thoma, aliiſque Doctoribus traduntur, religioſis videlicet ex vi ſtatus ſui ad perfectionem eſſe contendendum, quæritur, utrum qui in mundo permanent, hoc ipſum præſtare teneantur; Dei quippe Filius hæc dicit mortalibus omnibus, cujuslibet ſtatus, & conditionis illi ſint: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Matth. 5. Reſponderi poteſt, utroſque teneri pro viribus ad propriam ſtatus ſui perfectionem acquirendam conniti; ſed in Chriſtianiſmo duplex perfectionis genus, quarum quævis plures habet gradus; altera, quæ reſpicit bonum eorum, qui in mundo vivunt, eaque eſt ad unguem ſervare præcepta; & altera, quæ in religioſis exigitur, quæ eſt ſervare præcepta ſimul, atque conſilia. Itaque primi illi primo modo perfecti eſſe debent, atque conari, ut in dies in perfectione proficiant: ſecundi vero conari debent, ut in conſiliorum obſervantia, præter præcepta, creſcant, hæc enim ea perfectio eſt, cui ſeſe obligarunt. Cum autem iſta perfectio ſit maxime ſublimis, cum dicimus religioſos ad perfectionem conniti debere, ad hunc ſublimiorem intelligimus gradum ſecundum S. Thomæ regulam, qua præſtantiſſimæ ſpeciei nomen, quod omnibus eſt commune, defertur.

Cum religioſus ex vi ſtatus ſui teneatur ad perfectionem charitatis, & intimæ cum Deo unionis contendere, quæritur, quibus mediis ad hunc finem debeat pervenire, & Doctores cum S. Thoma quæſt. citata artic. 2. reſpondent per vota, & regulas ſuas, quibus tamquam mediis neceſſario uti debet, ut finem ſuum conſequatur. Hæc inevitabilis eum urget neceſſitas velle perfectum eſſe, & hæc via ad hunc terminum contendere: qua in re ſi deficiat, ſibi perſuadere debet, ſe peccare; quod ſi quærat, quodnam peccatum hoc ſit, & in quo conſiſtat: Theologi mortale eſſe dicunt, ſi religioſo conſilium non ſit ad hujus ſtatus perfectionem non perveniendi, neque id præſtandi, quod opus eſt, ut illuc perveniat. Nam licet non teneatur re ipſa perfectus eſſe, tenetur ſaltem non habere contrariam voluntatem, neque ſe perfectionis inimicum profiteri. Peccatum veniale tantum eſt, ſi religioſus vere vult ad perfectionem contendere ea adimplendo omnia, quæ ſecum habent adnexam ſub lethali peccato obligationem: quamvis per ignaviam, & ſpiritus negligentiam nolit hunc ſubire laborem, qui in acquirenda perfectione requiritur; dummodo formalis abſit contemptus.

Diſcrimen inter laicum & religioſum generaliter loquendo.

Ut liqueat, quodnam inter ſit diſcrimen inter religionis, & ſæculi ſtatum, dicendum eſt, quemadmodum ſæcularium finis eſt contendere, ut ſalutem ſuam operentur, ſervientes Deo, præcepta ejus ſervantes, & evitantes peccata; ita religioſorum finem eſſe ad perfectionem ſuam conniti ſequendo JESUM CHRISTUM, illius conſiliis obſequendo, mundum relinquendo non ſolum cordis affectu; ad id enim omnes etiam Chriſtiani tenentur; verum etiam reali ſeparatione a mundo, & iis rebus omnibus, quæ mundum conſtituunt, opibus, voluptatibus, honoribus, propria voluntate, & iis, quæ in nobis fovere poſſunt amorem proprium, & ſenſibilium rerum amorem, ut amplectantur paupertatem, paſſiones, & humiliationes, utque libertatem ſuam abrogent, & in jugi vivant ſubmiſſione.

Quid eſt votum, ejus definitio, & præſtantia votorum religionis.

Votum, Doctores inquiunt, eſt promiſſio ſcienter, deliberate, ac libere facta Deo de re bona, & meliori, quam oppoſita ſit. Juxta definitionem hanc, nec ea, quæ mala ſunt, nec neutra eſſe poſſunt voti materia, immo neque ea omnia, quæ bona ſunt, veluti matrimonium, quia adhuc melior eſt cœlibatus. Religionis autem vota non ſolum habent qualitates, quæ requiruntur; verum etiam inter omnia vota, quæ emitti poſſunt, tria, quæ religioſum ſtatum conſtituunt, procul dubio ſunt ampliora, præſtantiora, perfectiora: quia quemadmodum tres magni ſunt obices, qui prohibent, ne ad chriſtianiſmi perfectionem perveniamus, videlicet concupiſcentia oculorum pro divitiis, concupiſcentia carnis pro ſenſuum voluptatibus, & vitæ ſuperbia pro inquiſitione honorum, & gloriæ; tria religionis vota, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, auferunt tres hos obices, qui chriſtianæ perfectioni adverſantur, & efficiunt, ut homo ſeſe perfecte Deo tradat,

Quod ſit ex voto, magis meritorium eſt, quam quod ſine eodem peragitur.

In votis autem illud utiliſſimum eſt, quod quæ ex voto fiunt, coram Deo ſunt magis meritoria, & laudabilia, quam quæ fiunt ultro, quin hoc pacto ea facere teneamur. S. Thomas 2. 2. quæſt. 88. art. 6. tres adfert, eaſque validas rationes. Prima eſt, cum religio omnem moralium virtutum ſit præſtantiſſima, cumque votum ſit actus religionis, hoc eſt res prorſus ſancta, & jam conſecrata Deo, maximi eſt meriti. Altera eſt, in actionibus, quæ ex voto fiunt, multo plus conferri Deo, quam in illis, quæ aliter fiunt; quia non id tantum offertur illi, quod fit, ſed quod majus eſt, offertur illi impoſſibilitas, in quam noſmet adduximus aliter agendi, eique propria libertas offertur, quæ maxima eſt oblatio, maximumque ſacrificium, quod fieri poſſit; atque ut utar comparatione Sanctorum Anſelmi lib. de ſimilitud. ac Thomæ, Deo arbor ipſa cum fructibus datur. Ratio tertia eſt, omnium actionum externarum bonitatem a voluntate præſertim oriri; ita ut quo perfectior eſt voluntas, eo perfectiora ſint opera, quæ ab illa procedunt. Certum eſt autem, voluntatem quo firmior, & conſtantior eſt; eo eſſe perfectiorem, quia magis abeſt ab eo defectu, quem Sapiens Prov. 13. in tepidis corripit, *vult, & non vult piger*, & magis apta ad operandum cum inconcuſſa ea firmitate, quæ a Philoſophis exiſtimatur tamquam una ex conditionibus virtutis, & quæ per vota certiſſime acquiritur.

In religioſa vita nihil

Si paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ vota ſumantur in ea omni extenſione, quam Sancti illis tri-

perfectum eſt, quod in votis non contineatur.

tribuerunt, certum eſt, nihil in religioſa vita eſſe ita magnum, & perfectum, quod in illis non contineatur. Verum ſi litterali, craſſiorique modo ſpectentur, atque pro paupertate ſimplex exteriorum bonorum abnegatio, pro caſtitate ſola ſenſuum puritas, & pro obedientia vulgaris, communiſque intelligatur ſubmiſſio, quæ vulgo ad id redigitur, ne in illum inſurgas, qui præeſt, & ab eo in neceſſitatibus aliquam expectes facultatem; quamquam hæc neceſſaria ſint ad acquirendam religioſæ profeſſionis ſanctitatem, tamen religio ad altiora contendit, & longe ſublimiorem diſpoſitionem requirit. Hic ſtatus eſt angelicus, qui intra adeo arctos fines contineri non poteſt, & illic ſubſiſtere velle, idem eſt, ac velle ad ſimplicia fundamenta redigere ædificium abſolutiſſimæ pulchritudinis, & magnificentiæ.

Adminicula quibus religioſi ad eminentem ſanctitatem ſe ſe attollere poſſunt.

Idem S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 6. docet Religioſum per tria vota, quæ emittit, fugere, quantum poteſt, peccatum, & occaſiones, quæ in illud inducere poſſent; etenim, uti S. hic Doctor animadvertit, ille procul abeſt ab alienis bonis, vel furandis, vel concupiſcendis, qui ne ſua quidem vult retinere; neque illicitis obſecuturus eſt voluptatibus, qui a licitis abſtinere decrevit, neque ſuam divinæ audet voluntati præferre, qui propter amorem Dei voluntatem ſuam hominis ſubjicere voluntati conſtituit. Per hæc eadem vota ſe in beatam adducit neceſſitatem inſerviendi Deo, & mox æternam ſibi comparandi felicitatem; ſibimet injicit inevitabilem neceſſitatem chriſtianarum virtutum exercendarum, ſeu theologalium, ſeu moralium, pœnitentiæ, charitatis erga proximum, humilitatis, mortificationis ſenſuum, & affectuum, & vigilantiæ in iis rebus omnibus, quæ chriſtianum ad eminentem ſanctitatis apicem poſſunt attollere.

Per religioſi profeſſionem obtinetur remiſſio peccatorum omnium, quæ in ſæculo fuerant patrata.

Inter reliqua religioſi ſtatus bona, Doctores omnes poſt D. Thomam docent, ingreſſum in religionem alterum eſſe Baptiſmum, qui peccata in ſæculo commiſſa remittit non ſolum per viam indulgentiæ, verum etiam per viam ſatisfactionis, quippe illud moleſtiſſimum opus eſt, quod ſuſcipi valeat, necnon per viam meriti, cum illud comprehendat actum, cujus pretium eſt inæſtimabile. Hanc rationem tradunt Theologi, quia hæc indulgentia, vel remiſſio non oritur ex conceſſione a ſummo Pontifice facta, quæ plures exigit conditiones, quæ non ſemper inveniuntur in illis, quibus indulgentiæ conceduntur, ſed ex ipſa natura actionis, quæ fit, quæ talis eſt, ut quovis tempore, quolibet in loco, & in omni perſonarum genere eumdem obtineat effectum. Hoc probatur etiam auctoritate S. Hieronymi Epiſt. 25. & Epiſt. 8. ad Demetr. qui hac ratione convictus ait, hac in re vitæ religioſæ profeſſionem non multum a Baptiſmo diſtare. Et S. Bernardus, cui non minus perſuaſum eſt de hac veritate, duas alias adfert rationes, quarum altera eſt magna pœnitentia, cui temet ſubjicis, & quam ſecum adfert hæc actio; altera vero præſtantia vitæ ſpiritualis, quam amplecteris.

Qui vota religionis emittit ab aliis votis omnibus diſpenſatur.

Inde etiam innoteſcit præſtantia oblationis, quam tuimet ipſius facis per hæc tria religionis vota, quod omnes tenent Canoniſtæ, eum, qui aliud quodlibet antea votum nuncupaſſet Deo, exempli gratia, Romam, vel Jeroſolymam adeundi, pauperibus diſtribuendi, quidquid boni acquirere poſſet, toto vitæ ſpatio in Xenodochiis inſerviendi, quotidie in ſolo pane, & aqua jejunandi, cilicium aſſidue ferendi, & demum aliud quodcumque votum, omnino hoc debito fuiſſe defunctum, ubi religionem ingreditur: cum omnes obligationes, quas præcedenti voto contraxerat, ex tunc confundantur, & commutentur in illud religioſæ vitę, tamquam in aliquid perfectius.

Vita religioſa eſt ſpecies martyrii.

In religioſo ſtatu nihil nobilius, ac præſtantius eſt, quam hęc ſui ipſius traditio in manibus Dei per tria vota, quæ ibi fiunt; quod adeo eximium, & heroicum eſt, ut Sancti hunc ſtatum cum martyrio conferre non dubitent. Et ſane hoc juge martyrium eſt, quod re ipſa, S. Bernardus ait, habet aliquid minus horribile, quam illud, quo corpus tormentis laniatur, ſed quod ſimul eſt diuturnitate crudelius: illud enim, quod tyranni fidelibus inferebant, ictu gladii terminabatur, illud vero religioſorum nequaquam uno perficitur ictu; longum martyrium eſt, quod quotidie inſtauratur in nobis modo per ſuperbiæ noſtræ dejectionem, modo per propriæ voluntatis, propriorumque luminum annihilationem, ita ut cum Pſalmiſta dicere poſſimus: *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.* Pſalm. 43. Attamen noſtra in hoc ſtatu ſubmiſſio talis eſſe debet, ut quemadmodum Martyres nequaquam eligebant genus ſupplicii, & mortis, ſed præſto erant ferendo, quicumque ſibi cruciatus inferrentur; ita religioſus ſemper paratus eſſe debet ad omnes ſubeundas mortificationes, quæcumque ipſi ingerantur.

Obligatio per vota contracta non minuit libertatem.

Quamplurimi prædicant, omnia inveniri bona in religioſo ſtatu, & in ſacrificio, quod noſtrummet ipſorum facimus per vota; ſed vota, inquiunt illi, homini auferunt libertatem, quod bonum eſt pretioſiſſimum. Sed D. Thomas, & cum eo omnes Theologi reſpondent, tantum abeſſe, quod libertas per vota auferatur, ut fiat perfectior, quia votorum effectus eſt confirmare voluntatem in bono, & prohibere, ne in malum pertrahi patiatur. Hoc autem nullatenus deſtruit libertatem, non ſecus ac perfecta libertas, qua Deus, & Beati fruuntur, nequaquam in illis deleta eſt per impoſſibilitatem peccandi.

Mala vocationis religioſæ tentatio.

Ignoret ſane opus eſt, quid inter homines fiat, qui eorum probat ſententiam, qui credunt, eos, qui ſeſe Deo mancipare volunt, in mundum eſſe remittendos, ut vocatio eorum probetur. Si animæ perfectæ ibi non ſine graviſſimis periculis permanent, quomodonam illæ, quæ infirmæ ſunt, & vix ipſa virtutis habent rudimenta, evitare poterunt laqueos, qui ubique ſibi tenduntur. Quis dubitare poteſt, quominus hæc certiſſima via ſit ad optimas quaſque intentiones, & ſanctiſſima conſilia diſſipanda?

Quantum debeant Deo illi, quos ad religionem evocavit.

Nullum eſt momentum in vita eorum, quos Deus eduxit ex mundo, quod inſumendum non ſit in gratiis eidem agendis, & licet plura viverent ſæcula, nequaquam ſatis temporis illis ſuppeteret, ut cor ſuum effunderent coram illo, eique exprimerent grati animi ſenſum ob illius beneficia, non quidem jugi meditatione, ſed in omnibus circumſtantiis, & locis vitæ ſuæ cum eo loquentes, nihilque facientes, quod non ſit conſiliis ejus conforme, & quod illi placere non poſſit.

Error eſt ſatis communis in religioſis domibus, exiſtimare, ſe profeſſionis ſuæ muneribus eſſe defunctos, cum aliqua ſervatur in præcipuis officiis diligentia, cum interim infringantur regulæ, quæ minoris momenti ducuntur, & ſine ulla religione negligantur ea, quæ minus neceſſaria creduntur.

Religioſus, poſtquam mundum reliquit, ſe ipſum debet abnegare.

Mundum non ſine magno labore relinquimus, quin tamen in hoc maximum eſſe meritum gloriari valeamus: primum caput eſt ſe ipſum relinquere, in ſincera abnegatione vivere, ſeſe JESU CHRISTI ſpiritu replere abjiciendo ſpiritum mundi, & numquam ad ea reverti, quæ ſemel relicta fuere. Cavendum eſt, ne recentes nectantur affectiones, quibus repleatur locus earum, quæ deſtructæ fuerunt, & quæ eaſdem gignunt curas, motus eoſdem, eaſdemque ſollicitudines. Malum hoc adeo commune illis eſt, qui ſeſe divino cultui addixerunt, & adeo pernicioſum eorum ſaluti, atque tranquillitati, ut numquam poſſint ſibimet ſatis invigilare, ne in tantum periculum decidant. Dæmones hunc tendunt laqueum in iis etiam cœnobiis, ubi diligentior viget obſervantia, & ubi omnia optime inſtituta ſunt.

Si magnæ ſunt religioſorum obligationes, magna ſunt quoque ſubſidia; & quicumque conferre voluerit officia, quæ quatenus Chriſtiani per Baptiſmum contraximus, & modica auxilia, quæ in mundi vita inveniuntur, ut illa obeamus, cum officiis, quæ nobis præbent obſervantiæ, ubi ſanctæ, ac bene inſtitutæ ſint, haud ambiget, quominus in priori ſtatu adſint difficultates ferme inſuperabiles; & in altero inveniantur facilitates, & ſubſidia numero fere carentia, ut vocationis ſanctitati reſpondeatur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecta ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus loci hujus Argumenta.

Diverſam ideam quam de religioſo ſtatu homines concipiunt.

PAuci æquam ſibi religioſi ſtatus adſtruunt ideam. Alii quidem ſimiles illis Iſraelitis, qui terram promiſſam, nonniſi eminus proſpexerant, religioſum ſtatum gravem eſſe putant ſervitutem, exiſtimant clauſtrum eſſe carcerem, velum jugum eſſe

eſſe non ferendum, & religioſam vitam eſſe mortis ſpeciem eo ſeveriorem, quo diuturniorem. Si de religioſa profeſſione juxta eorum ideam judicium ferendum eſt, eſt irrevocabilis acceptatio carceris aſſidui, & vita crucibus, & mortificationibus contexta; funus eſt hominis viventis, qui ultro ſe ipſum ſepelit in arcta cella, tamquam in ſepulchro, & qui omnibus urbanæ vitæ voluptatibus mortuus dies in triſtitia, gemitibuſque traducit, & in mundo non recenſetur amplius. Alii in aliud extremum ruentes credunt, religionem ſtatum eſſe adeo perfectum, ut in eo, nonniſi Chriſtianos Heroas eſſe deceat, eos omnes, qui illud ingrediuntur, ſtatim eſſe debere ab omnibus leviſſimis etiam imperfectionibus immunes, & ipſa die prima ad numeris omnibus abſolutam ſanctitatem pervenire. Hoc verum eſſet, ſi qui parentes, & bona relinquit, ſeipſum relinqueret. Vepres in uberrimis etiam agris inveniuntur, cultura prohibet quidem, ne adoleſcant, prohibere autem non poteſt, ne germinent. Alii ingrato ſimiles populo, qui de Ægypto egreſſus adhuc tenebatur deſiderio abjectarum dapum, quibus illic veſcebatur, ſtatum, quem ſunt amplexi, faſtidiunt, regulas tamquam duras leges, & clauſtra tamquam horrens deſertum reſpiciunt. In ſingulos greſſus ſpinas inveniunt; & nihil moleſtius eſſe putantes vita ſemper conſtanti, & frugi, religionem ſibi exhibent pravis cordis ſui affectionibus conformem. Status religioſus ſimilis eſt terræ promiſſionis: monſtra, quæ ibi germinare dicuntur, in mente illorum tantummodo ſunt, qui hujus vitæ ſuavitatem non norunt. Huc profecto nonniſi magnis ſumptibus pervenitur, maria traducenda ſunt, deſerta peragranda, hoſtes expugnandi, ſed ex tot victoriis quam uberes, ſuaveſque fructus percipiuntur? At neque hæc victoria tanti ſtat, quanti exiſtimatur. Deus, cui fidelis populus ſervit, artem habet ſternendi maximas quaslibet difficultates, & dulcedinem adſpergendi rebus illis, quæ amaritudine plenæ videntur. *P. Croiſet, tom. 3. in quo conſiderationes aſceticæ continentur.*

Veri religioſi idea.

Nonne dici poteſt, religioſum ſtatum ſocietatem eſſe ſecundum JESU CHRISTI ſpiritum, & exemplum, ſuaviſſimis mutuæ charitatis vinculis adſtrictam, jugibus humilis, & perſeverantis pietatis exercitationibus roboratam, & maximarum virtutum praxi conſecratam? Venerabilem eſſe ordinem perſonarum, quas Deus ſibi quodammodo ſecrevit, & quæ cum quodammodo ſe reliquis creaturis inviſibiles præbuerint, ſeſe in ſolitudinem recipientes, in loco tuto adverſus tempeſtates, quæ in ſingulas horas mundanis impendent, placidiſſima malacia fruuntur, qua magno ſalutis ſuæ negotio vacantes pro cœleſti patria laborant, virtutes tantum acquirunt, ſpiritualia ſolum bona conſectantur, & commode puris vitæ ſanctæ deliciis perfruuntur; unum ſibi Deum proponentes pro objecto, & fine votorum, & cogitationum ſuarum, omnia in lucro ponunt, re nulla turbantur, & cum confidentia, & hilaritate moriuntur. *Idem.*

Bona, quibus religioſi fruuntur.

Religioſus per ſtatum ſuum immunis eſt ab omni curarum moleſtia, qua mundani torquentur. Omnes vitæ caſus contemnens, ab hominum ingenio, & libidine minime pendens, per generoſam abnegationem liber a gravibus divitiarum ſollicitudinibus, quas JESUS CHRISTUS comparat ſpinis, per ſuam perfectam obedientiam propriæ etiam vitæ importunis expeditus curis unice ſalutis ſuæ vacans negotio, divino cultui prorſus addictus, ac Deo tantum placere quærens, poteſtne ſtatus ſui dulcedinem non experiri? Quænam ſuavior tranquillitas? Fingite vobis, ſi licet, vitam hac beatiorem, atque ſanctiorem. Nonne jure Propheta inquit, meliorem eſſe diem unam in Domini domo traductam, quam mille in jucundiſſimis vitæ hujus voluptatibus impenſas? *Idem.*

Charitas, quæ in religioſis domibus regnat.

Quid in mundo invenitur, quod ad conſtantem, indefeſſam, univerſalem accedat charitatem, quæ inter religioſos viget? Hæc minutiſſimas prævenit neceſſitates, graviſſimis ſolatium adfert infirmitatibus, apertiſſima excuſat errata, cum interim in mundo amicitia, quæ optime confirmata videbatur, vili cupiditate diſſocietur, cum impenſiſſimus amor, & officia maxime naturalia aliquot menſium morbo deficiant, ac tandem moroſis longe ſenectutis faſtidiis fatigentur. Religioſa in domo curæ, ſollicitudines, amor per ſupernaturalis charitatis exercitia creſcunt; hæc non ſunt amplius benevolentiæ monumenta, ſed officia. In mundo mutua ſunt officia, quia mutuæ ſunt neceſſitates; non modicum bonum eſt perfecto religioſo externis non indigere ſubſidiis, non teneri rationem habere ſummorum, & infimorum; carere poſſe horum quidem opera, illorum autem favore: verbo, videre, ut ita dicam, terram omnem ſub pedibus ſuis, quæ ipſi neque prodeſſe valeat, neque obeſſe. Qui in mundo vivunt, putant hujus etiam vitæ felicitatem eſſe religioſorum, & ſe eorum dumtaxat auribus cordium ſecreta committere, atque inter curas ſuas aliquod ſolatium inquirere. *Idem.*

De bono vitæ religioſæ generatim.

Religioſæ vitæ felicitas myſterium eſt plurimis occultum; ſi oculis habenda fides eſt, omnis illius ſpecies externa nos terret. Incipiendum eſt guſtando, quam ſuave ſit uni Deo in religione inſervire. Hæc ſtatus religioſi felicitas eo ſolidior eſt, quod non ſolis innititur bonis, quæ in hac ipſa vita guſtantur. Præcipuus hujus felicitatis fons eſt JESU CHRISTI promiſſio, qui æternam pollicitus eſt felicitatem. Et ſane quiſnam potiori jure putet, nomen ſuum in libro electorum ſcriptum eſſe? quis potiori jure ſperet, ſe a Domino æternam conſecuturum felicitatem, quam religioſus, qui propter Dei ſui amorem ſeſe obligat iis omnibus, quæ in evangelio ſunt perfectiſſima, & præceptis exactam omnium conſiliorum adjicit obſervantiam? Nonne ipſe Dei filius vitam æternam pollicitus eſt illis, qui mundi hujus bona propter amorem ejus relinquerent, præter centuplum in hac ipſa vita acquirendum? *Idem.*

Quid majus? quid generoſius hoc conſilio, quo virguncula omnia infringit vincula, quibus huic adſtringitur mundo, religionem ingrediens? In ipſo ætatis flore, cum omnia in mundo rident, cum nitent omnia, omnia ſeducunt, omnia alliciunt, ea ætate, quæ voluptatum tedio affecta eſſe nequit, qua omnes ſpes blandiuntur; cum eam ſollicitet vanitas, ac tot externæ, nitidæque ſpecies ad fallendum aptiſſimæ; cum pravi exempli torrens eam trahat, in lubrico ſtare, generoſe ex turba evadere, & quamvis tenaciſſimis amantiſſimæ conſanguinitatis vinculis detineatur, omnes has fugere illecebras, nexus omnes infringere, propriam ſacrificare vitam, ipſas etiam ſpes abdicare, pauperem, humilem, mortificatam, reliquos vitæ ſuæ dies intra anguſtum cellulæ ſpatium ſe includere, idque ut Deum impoſterum unice diligat: finge tibi, ſi potes chriſtianam virtutem magis heroicam, magiſque perfectam. Cum S. Bernardo hæc vocari poſſunt gratię JESU CHRISTI miracula, quę nobis minus admiranda videntur, quod communia. *Idem.*

Quomodo brevi ad conſummatam perfectionem non perveniatur eo in ſtatu, in quo innocentia eſt tamquam omnium virtutum baſis, ubi vigilantia leviſſimos etiam pervertit errores, ubi ſpiritus mortificationis minimos etiam affectuum impetus coercet, ubi pietas frequenti ſacramentorum alitur uſu, ubi fervor per bona exempla in ſingulos ferme dies creſcit? O ſtatum longe alium a ſtatu mundi, ubi ſolidę virtutes adeo infrequentes ſunt, frequentes adeo lapſus, levis pœnitentia, pericula vulgatiſſima, & numerus electorum exiguus! *Idem.*

Religioſus a mundi periculis immunis eſt.

Religioſus minus patet hoſtilibus telis, & in ejus ſtatu omnia aliquid conferunt ad illius tuendam, regendamque innocentiam. Solitudo tutum eſt contra ſęculi corruptionem perfugium. Inter clauſtra aer purus reſpiratur, donec, qui in mundo verſantur, virtutem adeo fragilem ſervare tenentur inter pericula; & occaſionum illecebras, virus ebibere coacti oculis quidem in vana mundi pompa, auribus vero in vulgatioribus converſationibus, atque ſibimet invigilare debentes, ad prohibendum ne illud in ipſa uſque penetret pręcordia; verbo, coacti cum Babylonicis pueris in fornacis flamma verſari, & ut illi eadem nequaquam comburi. Numquid ploranda eſt religioſorum conditio, eo quod tot ex periculis eruti ſunt? *Idem.*

Ad religioſum ſtatum vocatis ſignum eſt prædeſtinationis.

Nemo ęquius judicare poteſt, Deum ſpeciali modo velle ſalutem illius, quem ad religionem vocat, quam ſi conſideret terminum, a quo illam educit, illum, quo eamdem adducit, ipſamque vocationis illecebram. Primum autem, terminus unde illam educit, mundus eſt, ſcopulus ſaluti adeo terribilis non propter aſſidua tantum pericula, quibus fidelis anima patet, verum etiam propter inanem confidentiam, quam mundus inter ipſa ingerit pericula. Secundo, terminus, quo adducit illam, eſt religio, ſta-

ſtatus utilis ſaluti, & propter ſolitudinem, quæ eſt perfugium, & ſtatio virtuti tutiſſima, & propter jugem vigilantiam, quam ipſa inſpirat ſolitudo. Tertio, vocationis illecebra gratia eſt ſingularis, quæ complectitur beneficium Dei aliquem eligentis ex tot mortalium numero, quos in ſæculi corruptione relinquit. Hæc tria ſunt apertiſſima argumenta fortis, & efficacis voluntatis, qua Deus quærit ſalutem illius, qui ad Religionem vocatur. *P. Cheminais ſermone pro religioſa profeſſione*.

In religione omnia ad virtutem adducunt, & a vitio deterrent.

Ibi, quidquid ſanctus zelus, ſanctuſque fervor religioſis divino animatis ſpiritu magis aptum ad propulſandos noſtræ ſalutis hoſtes ſuaſit, in uſum redigitur. Ibi bonum exemplum auctoritate eorum probatum, qui in Dei cultu conſenuerunt, omnem vim habet ſuam; e contra malum exemplum, ſi prodire audet, ut plurimum omni caret effectu, tum quia punitur, tum quia numquam probatur. Ibi omnia, quæ inita fuerunt conſilia ad ſervandum rectum ordinem, inſtituta, monita, exhortationes, pietatis exercitia ſunt totidem veluti valla, quæ eorum opponuntur cupiditatibus, qui ſuimet ipſius poſſent obliviſci. Decor ejus indumenti, quod geritur, ſanctitas loci, qui habitatur, dignitas ſtatus, quem amplexus es, efficiunt, ut omnem ſentias horrorem, & indignitatem peccati venialis, quod qui in mundo vivunt, adeo parum reformidant. *Idem*.

Senſus animæ religioſæ de beneficio vocationis.

Accepi, Domine, peculiarem hanc vocationis gratiam, beneficium hoc adeo pretioſum, ſed quod parvi penditur, quia a mortalibus parum cognoſcitur. Si ulla dignitas eſt, de qua gloriari liceat, hæc illa eſt, qua me a populo ſecernere voluiſti. Generis, nobilitatis, fortunæ bonorum, naturalium qualitatum decor, ille non eſt, quo amicos tuos diſtinguis. Sapius hic nocet magis, quam proſit ad æternitatem. Sed vocatio tua quot ſecum adfert felicia ad ſalutem conſequendam præjudicia! Quanta illius bona ſint equidem ſentio, Domine, & quo magis impenetrabilem prædeſtinationis tuæ ſcrutor abyſſum, eo magis mihimet perſuadeo, te peculiaria iniſſe ob ſalutem animæ meæ conſilia. Sine, Domine, me hinc tantum fructum percipere. Num credam me a te tanto affectum fuiſſe beneficio, ut mox in reproborum maſſa confunderer; me a te eo uſque deductum fuiſſe, ut ut me poſtea negligeres; me a te in deſertum fuiſſe adductum, ut ibi interirem? Heu! ſpero fore, ut bonitas tua illud opus perficiat, quod adeo feliciter cœptum eſt. *Idem*.

Anima a Deo ad religionis ſtatum vocata, eſt veluti divino ſpiritu rapta. Ipſa etiam ſtupore perculſa ob facti ſui magnitudinem, & facilitatem, quam in eo perficiendo nanciſcitur, dubitat, utrum ipſa ambulet, an gratiæ alis agatur: tanta perfunditur voluptate ſequens illecebram, qua deducitur. Momento ſapientior facta circa mundi vanitatem, quam omnes antiquitatis ſapientes, beneficio luminis, quo illuſtratur, ejus nihilum agnoſcit; & cum mundani nonniſi poſt diuturnam experientiam agnoſcant phantaſma, quod conſectati ſunt, ictu oculi omnium terrenarum rerum inane cognoſcit. Sola æternitas ob oculos ejus explicat infinitorum ſpatiorum durationem, & omnes illius intuitus figit. Intelligit illa non per ſe hæc omnia cognoſcere, ſed ope gratiæ vocationis ſuæ, quæ illuſtratur, dum alii in tenebris verſantur: & quemadmodum ignis columna, quæ dux erat Iſraelitarum, altera ex parte facem præferebat Dei filiis, ex altera vero Ægyptiis caliginem effundebat. ita divina hæc illecebra, quæ animabus ad religionem evocatis tantum effundit luminis, iis, qui in mundo ſunt, cahos eſt impenetrabile. *Idem*.

Magnum ſacrificiũ, quod religioſus facit Deo mundũ relinquens.

Si religioſus ſacrificare debet hunc mundum, qualis eſt, vanum, fallacem, doloſum, imparem felicitati afferendæ, talem denique, qualem funeſta experientia illum oſtendit iis, qui in illius amore conſenuerunt, hoc ſacrificium tunc fortaſſe nonnihil ſui pretii amitteret. Sed virguncula non ſolum relinquit mundum, ſed ideam, quam concipit mundi. Modica, quam illius habet, experientia illi exhibet mundi imaginem longe pulchriorem, gratioremque. Imaginatio auget objecta, illis vividiores allinit colores, ac lineamenta illecebris refertiſſima; atque mendaci hac pictura ſupplet iis rebus omnibus, quæ in prototypo deſiderantur. Facile nobis fingimus, quod ignoramus, re ipſa ſpecioſius, atque jucundius. Ea ſumus ætate, qua hæc mundi figura, quæ præterit, nil nos videre ſinit præter externam ſpeciem, cujus fulgor nos decipit. Ita, quanquam mundus, ſi intus, & in cute inſpiciatur, fortaſſe tanta non ſit victima, cujus ſacrificium tantis ſtare ſumptibus debeat; Deus tamen, qui videt ideam, quam virguncula ejuſdem concepit, non dedignatur ſibi de nihilo magnum fieri ſacrificium. *Idem*.

In religione fit Deo propriæ libertatis ſacrificium.

Hoc in ſtatu, quem amplecteris, ſpiritus ſuam amittit libertatem: bonum, quod omnia ſæcula, omneſque mundi nationes tanquam cæteris quibuſcumque bonis præſtans exiſtimarunt. Adeo univerſale ſacrificium, ut omnia vitæ momenta amplectatur, ubi quælibet actio non ſit amplius, niſi per externi motus impreſſionem. Sacrificium amori proprio adeo contrarium, ut rebus in omnibus illi crucem figat ſexcentis legibus, conſuetudinibus, obſervantiis, regulari vigilantia, cui ex omnibus virtutibus amor proprius minime ſe accommodat, ibi nequaquam inveniens, ut alibi, neſcio quem nitorem, qui ejus palpat vanitatem; ibi vero omnem aliarum virtutum, quæ maxime heroicæ ſunt, inveniens amaritudinem. Sacrificium, quod in ipſum etiam noſtræ manſionis locum extenditur, hanc vel intra clauſtri cancellos in æternum coarctans, vel indeſinenter pro aliena voluntate commutans. Sacrificium, quod omnino aufert omnem commercii vitæ hujus ſuavitatem, nos a proximis, & amicis removens, atque uni alligans communitati, ubi ingenia, inſtitutio, ætas, & variæ mortalium qualitates ſæpe occaſionem præbent exercendi patientiam. Verbo, ſacrificium, quod hominem ſpoliat ſui ipſius ditione, itaut non conſulendum ulterius ſit proprium cor, ut quod velit, innoteſcat, ſed aliena ſit exploranda voluntas. *Idem*.

Religioſa jugis exercenda eſt mortificatio.

Propter Deum unice religioſus æternum affectibus ſuis inferre debet bellum, &, licet aliud ætatis æſtus ſuadeat, ſeſe contra inimici tela tueri. Quot ſecretę victoriæ! quot heroicæ actiones, quarum Deus unus eſt teſtis! Quot auſteritatibus carnem ſuam infirmare contendit: quot vigilias, jejunia, preces, lectiones, meditationes adhibet, ut vincat; Quot commoda ſunt apnd eos, qui in ſæculo maxime frugi habentur, quæ in religione ne de nomine quidem agnoſcuntur! Hoc procul dubio ſatis eſt ad deterrendas infirmas animas, quæ quotidie ſuæ deſunt vocationi. At æquum eſt, Domine, inquit fidelis anima, tanto ſumptu te amari. Tu mihi præbes bona, & ſecuritatem religionis, ego vero omnes illius difficultates, pœnaſque volo ſacrificare; tu mihi illius ſubſidia, & gratias procuras; ego vero illius cruces eligo, atque auſteritates. Hoc auſteræ vitæ genus, fateor, aliquid habet, quod ipſam naturam avertit, & ſenſus commovet; atque ſi illud ſolum intuerer, me poſſet deterrere; ſed ſpectandum eſt tamquam neceſſarium ad pręſtandam fidem, quam Deo pollicitus ſum. *Idem*.

Religioſum ſtatum amplecti, ut Deo ſerviatur, heroicum eſt.

Relinquere, quidquid in mundo pretioſiſſimum habetur; generoſo contemptu conculcare, quidquid homines tot curis, laboribuſque conquirunt; ſibi in ęternum interdicere omnes voluptates, quę conſtituere videntur eas guſtantium felicitatem; ſe ſibimet auferre immolandum tamquam hoſtiam viventem pœnitentię, & mortificationi; hoc opus eſt adeo magnum, atque difficile, ut ſi Deus per gratiam ſuam hanc non immitteret mentem, neque pręmiorum ſuorum promiſſione opus confirmaret, hoc humani ſpiritus infirmitati prorſus eſſet impoſſibile. Creaturę enim nos adeo validis illecebris palpant, earum fulgor adeo jucunde oculos noſtros perſtringit, earumque ſuavitates ita cordibus noſtris placent, ut ſolus immortalium cœli deliciarum adſpectus earum nobis affectum, & exiſtimationem valeat adimere. *Panegyricæ Orationes Domini Verjus, Paneg. vitæ religioſæ.*

Merces, quam promittit Deus relinquentibus omnia.

Profecto niſi Deus ſuę bonitati, ac prorſus divinę liberalitati unquam deeſt; ſi pręſtat fidem, qua recepit ſe in hac etiam vita centuplo remuneraturum eos, qui aliquid propter ipſius conſilia, cultumque reliquerint, heroicis his animabus retribuere debet aliquid adeo magnum, locuples, magnificumque, ut creata omnia, quę illi reliquerunt, nihil cum eo collata videantur; ut palam videant, quam juſta fuerit eorum electio, & quam felix ſit ipſorum conditio ... Statui potiſſimum veſtro, ſanctę animę, quę omnia reliquiſtis, & quę a periculoſa ſęculi corruptione voſmet ſeparaſtis, ut Jeſum Chriſtum ſequeremini; vobis, inquam, magnificę illę promiſſiones factę fuerunt, vobiſque dici poteſt: *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis*. Matth. 5. *Idem*.

In receſſu potiſſimum religioſæ domus ob oculos piarum animarum Deus effulgere ſinit eas claritates, quas ambitioſis, ſuperbiſque ſpiritibus abſcondit. Donec inordinato creaturarum amore tenemur, horribilis noctis caligine involvimur; furens affectuum commotio denſas excitat nubes, quæ menti lucem auferunt, & cœli radios prohibent; alienus hic ignis tantum fumi effundit, ut ſolem videre non poſſint. Sed qui omnibus humanis affectionibus vacui ſunt, hi puros imitantur ſpiritus, qui palam regis gloriæ majeſtatem intuentur; qui nullum amplius habent cum rebus terrenis commercium, hi jure benignos recipiunt influxus Solis æternæ veritatis. *Idem*.

Melior uſus, quem noſtræ libertatis facere poſſimus, eſt illam Deo conſecrare.

Si magnum eſt hominis bonum præditum eſſe libertate, quæ illum ſuper omnia creata attollit, & quæ in ipſo eſt, uti Sancti Patres inquiunt, viva imago, & expreſſa divinitatis ſimilitudo, dicere poſſumus, perfectionem beatitudinis ejus eſſe hanc libertatem quodammodo amittere, eam illi immolando, a quo recepimus. Deus nos liberos, ac noſtrummet ipſorum dominos reliquit, ut cum eo bonorum operum noſtrorum gloriam dividentes, ipſi etiam æque, ac ille eſſemus æternæ felicitatis noſtræ opifices, ac noſtræ ſalutis principia: ſed vult, nos hanc libertatem impendere, ut noſmet beatiori ſubjiciamus ſervituti; vult, noſmet ipſos nobis catenas nectere, & ultro jugum illius ferre. *Idem*.

Per religionis vota Deo plus tribuimus, quam exigat a nobis.

Prorſus cœleſti prudentia, & peculiari divini ſpiritus motu hodierna die, chariſſima ſoror, tanta animi præſentia temet inaudita ratione ſubjicis Deo per ſolemnia, & irrevocabilia vota, atque temet illi arctioribus, fortioribuſque vinculis præ cæteris fidelibus alligas. Noſuerat ille omnem in re ſuam exercere auctoritatem, tibi integrum reliquerat plurima facere, quæ tu tibimet interdicis; permiſerat tibi uſum bonorum, quæ natura, & fortuna tibi fuerant elargitæ, tu vero illa in æternum contemnis, ut illi ſervias. Hoc, ex S. Auguſtini ſententia, eſt; generoſitate, & magnificentia cum eo decertare. A te id exigit ſolum, quod ad ſalutem tibi neceſſarium eſt, tu vero illi offers, quidquid aliquid ſaluti poteſt conferre: ille tibi vitia, & peccata interdicit, tu vero propter illius cultum, & gloriam innocuorum etiam terræ bonorum uſum interdicis; reddis illi bona, quæ ab eodem acceperas, & quibus times, ne abutaris; non illius dumtaxat præceptis obtemperas, verum ipſa etiam conſilia tamquam irrogatas leges tibi putas; & ſatis eſt; te illius voluntates cognoſcere, ut inevitabilem tibi eas ſequendi neceſſitatem inſtare arbitreris. *Idem*.

Præmia, quæ Deus in hac ipſa vita confert illis, qui ſe ſe illi devoverunt.

Hodie facto hoc adeo ſancto, & ſolemni, meliorem naturalis libertatis partem abdicas; videris ipſa cordi tuo arctiores circumſcribere terminos, quam quos illi natura præſcripſit: omnia vota, omneſque affectiones tuas in uno tantum colligis objecto, qui Deus eſt. Non licet amplius oculos tibi terram verſus convertere, nec ſinere, ut aliquis tibi ſenſus elabatur, quo palam fiat, te aliquid eorum, quæ in ea continentur, amare. Sed ille, cui tantam hanc facis oblationem, novit quo pacto jacturam tuam remuneretur: illi ſervire regnare eſt; & pro hac modica libertate, quam illi ſacrificas per vota tua, tibi redditurus eſt libertatem longe nobiliorem, præſtantioremque in hac ipſa vita, præter gloriæ libertatem, quam tibi reſervat in cœlo. *Idem*.

Deus eſt fidelis, & veritas mentiri non poteſt. Mundi Salvator pollicetur, ſi nos propter amorem ſuum reliquerimus modicam illam dulcedinem, & voluptatem, quæ eſt admixta tantæ amaritudini in libera bonorum mortalis hujus vitæ perfruitione, ſe nobis regnum æternum præparaturum in cœlo ad ea penſanda, quæ propter ipſum reliquerimus. Felix permutatio, S. Hieronymus exclamat, cœleſtia, pura, perfecta, & incorruptibilia pro fluxis, terreſtribus, & perituris bona percipere! Sed quam ſuavis eſt conſolatio, habere Deum optimum, & omnipotentem tanti boni ſponſorem, & vadem!... Inter gaudia, & ſuavitates prorſus cœleſtes, quibus perfrueris, fateberis, Anima religioſa, Domini tui beneficiis longe ſuperari promiſſiones; te ultra centuplum oblationum tuarum recipere, & diem unam in Dei Domo traductam longe meliorem eſſe, quam integrorum ſæculorum ſpatium in tabernaculis peccatorum. Tunc cum regio Propheta ſanctæ lætitiæ impetu acta exclamabis: quas gratiarum actiones, o Deus, quæ laudum ſacrificia tibi debeo, quia confregiſti vincula mea, & quia cum uberrimo quæſtu adeo ſuavem, atque felicem cordis, mentiſque libertatem mihi contuliſti? Simul vero nonne in ſingulos dies te magis teneri cenſebis, tuum inſtaurare zelum, & fidelitatem erga Dominum adeo beneficum, omnem mentis tuę vim, & libertatem, omneſque tui cordis ardores impendere, ut illius diligas bonitatem, & celebres beneficia? *Idem*.

Quid reliquum eſt, niſi quod tibi pollicear, adeo præclarum ſacrificium Deo acceptum eſſe, ipſumque tibi rationem redditurum magni depoſiti, quod inter manus ejus conſtituis, eumque tibi fideliter ſervaturum, juxta Apoſtoli verba, uſque ad magnam diem generalis retributionis. Remunerabitur ille conſtantiam, & fidelitatem magnificarum promiſſionum tuarum, quas hodie offers illi omnium earum rerum, quæ tibi pollicetur, liberans fidem; & pro cultu, quem illi præſtas in terra, te in æternum in cœlis remunerabitur. *Idem*.

Vota voluntatis noſtræ inconſtantiã certam faciunt, & illam in bono confirmant.

Præter officia, quibus omnes homines bonum exercere tenentur, conſtituta ſunt vota, quibus homines, qui ſeſe Deo devovent in ſolitariæ vitæ profeſſione, ita alligantur, ut in felici neceſſitate verſentur illa adimplendi, quin eadem valeant retractare: vota, quæ animæ in conſtantiam confirmant, in ambiguitatibus certam faciunt, in languoribus roborant, eique in tentationibus ſubſidio ſunt, atque perfugio; vota denique, quæ ſanctas intentiones in tuto ponunt, & per quas cœli beatitudinem jam prævertens cum gratiæ ſubſidio anima poteſt voluntati ſuæ quamdam confirmationis in bono ſpeciem tribuere. *Formentiere ſermone pro religioſa profeſſione*.

Quamvis puella Deo devoveret ſeſe ea in ætate, qua nondum omnem haberet, quæ par eſt, prudentiam, illius tamen actio adeo rationi conſentanea eſt, & hæc diſpoſitio, quam de ſe ipſa facit, illi adeo utilis eſt, ut ſit univerſe probanda. Aliquidne melius facere poſſet, ſi tota cœli, terræque ſapientia adeſſet illi, eamque illuſtraret? Quid, ut appoſite Tridentina Synodus inquit, homines in adoleſcentia omnibus patrandis ſceleribus pares ſunt, & pares non ſint meritis omnibus acquirendis? Eam habebunt ætatem, quæ ſatis ſit, ut ſeſe in interitum tradant, non habebunt autem, ut ſuæ ſtudeant incolumitati? *Idem*.

Religioſa vita verum eſt martyrium.

Hoc perſuaſum eſſe debet, religioſum deſtinatum eſſe crucibus, atque cruciatibus, ſtatumque illius a ſanctis omnibus habitum fuiſſe tamquam verum martyrium ptopter magnitudinem mortificationis, & abnegationis, quam continet. Et profecto quam aliam ejuſdem nobis adſtruere poſſumus ideam, ſi ille in lucem ſuam afferatur, atque conſideretur, tanquam imago, & imitatio fidelis vitæ Jeſu Chriſti? Crux ejus, proprie loquendo, ſemper fuit pars religioſorum, & quanquam hanc ille impoſuerit univerſis, qui ex ejus nomine appellari gloriantur, particulari privilegio facta eſt ſors Chriſtianorum, qui ſeſe vitæ religioſæ mancipărunt; cum plerique eorum, qui in mundo vivunt, illam abjecerint. *Abbas Trappenſis in explicatione regulæ S. Benedicti tomo* 1.

Subinde nobiſmet ipſis dicere debemus: Heu! quandoquidem hunc aſſecutus honorem fui, ut religioſus vocer, & ſim, omnibus religioſi hominis muneribus debeo perfungi, omneſque requiſitas conditiones habere. Quam enim turpe eſſet mihi adeo glorioſo nomine appellari, neque eidem ſatisfacere ea obeundo munia, quæ huic ſtatui ſunt inhærentia? Quis pudor in adeo ſublimi ſtatu eſſe poſitum, ejuſque perfectionem non habere? Quid mihi prodeſſet patrem, matremque reliquiſſe, omneſque mundi ſpes abjeciſſe, niſi vitam præter communem uſum vulgi duxiſſem? Nonne præſtitiſſet non reliquiſſe mundum, quam in religionem veniſſe, ut profeſſionem meam dedecore afficerem, vel ut communi vita meam proderem vocationem? Animum advertamus aliquando ad utiliſſimum hoc S. Pauli 1. ad Corinth. 1. monitum: *Videte fratres vocationem veſtram*: & dicamus, ſi verum eſt, hunc ſtatum mihi neceſſitatem inferre affectionem omnem a terrenis rebus avellendi, quantum ſcelus erit, me cor meum illis partiri? Et ſi forte aliquam in fervore veſtro deprehenditis relaxationem, ſtatim ita voſmet ipſos exprobrate: Heus tu! omniane te relinquere oportebat, ut huc venires? Omnes tibi deferendi erant con-
ſan-

ſanguinei tui, omniaque abdicanda bona, ut hoc tantum faceres! Eo uſque progrediendum tibi erat, ut ex religionis gratia, atque ſtatus hujus bonis adeo modicum fructum perciperes! Perfectionis ſtatus tibi amplectendus erat, ut perfectionem omnino negligeres? *P. Bourdalovc in ſermone manuſcripto hujus argumenti.*

Facilius eſt in religione, quam in mundo bonos pietatis ſenſus facere.

Qui diu vixit in mundo ſine alia qualibet cauſa, niſi quod in mundo vixit, ejus inanibus nugis repletur, neque habet amplius fervorem, primamque illam applicationem, qua eſſentialibus ſuis vacabat officiis. Rerum humanarum ideæ neceſſario divinas confundunt, & quemadmodum loquitur S. Bernardus de ſe ipſo, ſemper minores redimus, hoc eſt, iis vacui virtutibus, quibus antea præditi eramus: *Minor redii*. Quamobrem regius Propheta in impetu amoris ſui dicebat; quis mihi præbebit alas columbæ, ut eo me conferam, ubi puriorem adſpirare aerem valeam, & requieſcam? Sed in religione cum omnia nobis virtutem ſuadeant, fervor diutius ſervatur, &c. *Idem in alio ſermone.*

Religioſus per profeſſioné ſuam omnibus mundi rebus abrenuntiavit.

Religioſus per profeſſionem ſuam ſibi in æternum mundi aditum interclusit; omnibus ſe ſe curis, & negotiis, non ſecus ac opibus, & voluptatibus abdicavit, & ſervitus Jeſu Chriſti, cui ſe addixit, non ſinit eum hominibus inſervire, niſi quatenus ſuæ profeſſionis ratio ſinit. Mortuus eſt rebus omnibus ſenſibilibus; monaſterium ipſius ſepulchrum eſt, ibique expectare debet, donec a Salvatore mundi vocetur, ut olim vocavit Lazarum, quem ex ſepulchro voluit educere. Meminiſſe debet, ſe vas eſſe divino cultui, & ſacro altarium miniſterio dicatum, impoſterum non ſine prophanatione in aliis uſibus adhibendum . . . Si religioſus, qui nullis conſcientiæ ſtimulis agitatus, in mundi luce verſaretur, & Magiſtratum aliquem in theatro videret, militem forenſia tractare, & artificem eruditis Academiæ ſcientiarum officiis operam dare, næ ille quidem vehementer obſtupeſceret: attamen, quamquam, quotieſcumque extra clauſtra aſceterii ſui inter hominum conſortia, & impedimenta verſatur, ſitus illius majorem illi ſtuporem debeat injicere, nihil in ſeipſo animadvertit, quod ſibi negotium faceſſat, & hic habitus, hæc figura adeo inſolita, quæ illum prorſus abnormen facit ab illis, cum quibus verſatur, nequaquam oſtendit illi nihil cum hac deformi vitæ ſuæ ratione eſſe comparandum . . . . Quid magis abnorme, quam videre religioſum, qui tamquam lampas ardens ex imo ſolitudinis ſuæ mundum illuminare debet, in hunc eumdem mundum prodire tamquam lampadem extinctam, quæ fumum, non lucem, emittit: *Non quidem lucens, ſed fumigans*, inquit S. Bernardus; videre hominem hunc a Deo tamquam mediatorem conſtitutum, ut ſeſe iræ ejuſdem opponat, ubi contra peccatores irritatus eſt, eadem peccata committere, pro quibus quotidie intercedere, preceſque tenetur effundere: videre demum eum, qui per cogitationes, verba, & actiones eſſe debet in cœlo, & cui inde non licet deſcendere, ſeſe demittere, ac immiſcere negotiis eorum, qui terrena tantummodo ſapiunt, & quærunt. *Abbas Trappenſis, tomo 2. de vitæ monaſticæ officiis.*

Periculum quod ſubit religioſus, ſeſe mundi negotiis immiſcens.

Circa hanc veritatem unus eſſet omnium ſenſus, ſi ſerio cogitare vellemus, quid ſit religioſi hominis vita, & quid ſit homo, qui ſeſe negotiis ſæcularibus miſcet. Qui intellexit religioſum a Deo deſtinatum eſſe pietati interiori, illum vitam ducere debere in morum integritate, in requie, in jugi meditatione, ſeorſim ab hominibus, coram Deo, a cujus conſpectu, quatenus humana fragilitas ſinit, numquam recedat, non credet numquam illum ſeſe tantæ mentis evagationi objicere poſſe . . . Hoc illud malum eſt, ad quod redigitur religioſus, cum ex ſe, ac injuſſus hujuſmodi ſeſe impedimentis immiſcet. Negotia, quorum curam gerit, illum totum exigunt, & flagitant; ipſe illis totum ſuum tempus impendit, ſuam navat operam, atque induſtriam. Hic torrens eſt, quod illum eo majori trahit pernicitate, quo magis vacat eidem in ſemet ipſo perutilem facere conſiderationem. Ille vivit inter homines, qui rebus in omnibus ſequuntur motum, quem odium, vel avaritia illis inſpirant, atque illius vitia, mores, & placita haurit. Diſſipatus eſt in vitæ ſuæ ratione, proprio mordicus inhæret ſenſui, ardens eſt in negotiis ſuis; verbo, religioſus eſt ſine religione, qui in omnibus actionibus, verbiſque ſuis animæ tumultum, ac perturbationem præſefert. *Idem.*

Status religioſus ſtatus eſt pœnitentiæ.

Religioſus deſerit mundum, ac ſeipſum in aſceterio quodam veluti in carcere claudit, ut pro peccatis ſuis divinæ ſatisfaciat juſtitiæ. Tradit corpus ſuum morti voluntariæ, ut animæ viam redimat. Omnia religionis exercitia, vigiliæ, jejunia, labores, ſolitudo, omneſque corporis mortificationes ſunt veluti ſupplicii ſui inſtrumenta, quibus ejus infirmatur valetudo. Abrenunciat vitæ paucorum momentorum, ut a Dei bonitate æternam vitam obtineat. *Idem.*

Hac in re Sanctorum ſenſum ſequamur oportet, & cum illis dicamus, religioſo nihil eſſe commune cum mundo, illum ab hoc ex profeſſione ſua tantum ſeparatum eſſe, quantum per mortem naturalem, & illis, qui eum allicere vellent, ut iterum temporalibus ſeſe negotiis impediret, reſpondeamus: *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Fallitur, qui viventes quærit in ſepulchris, & vitæ actiones exigit ab iis, qui earum non habent principium, ut cum Apoſtolo exclamare liceat: mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo; ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto. *Ex libro cui titulus: Conduite Chrètienne.*

Qui mundum reliquit, nugas conſectari non debet.

Sæpe ex vobiſmet ipſis cum S. Bernardo quærite, cur in religionem veniſtis? *Bernarde ad quid veniſti?* Quæ igitur mihi mens fuit, cum vitam religioſam amplexus ſum? Numquid magna reliqui bona, ut nugas conſectarer? Num omnibus mundi honoribus, & dignitatibus abrenunciavi, ut exigua miniſteria ambirem, ut in religione de honore contenderem? Numquid ſacrificavi, quodcumque magis jucundum, & ſuave mihi mundus pollicebatur, ut inanes oblectatiunculas, & voluptates mea conditione indignas perquirerem? Denique vincula adeo fortia perfregi, obices, qui invicti videntur, ſuperavi, ut leviſſimis tentationibus cederem, inanibuſque nugis adhærerem? Nequaquam; non hunc mihi finem propoſueram, ſi rite conſulo ſenſus, quos fovebam, cum mundum reliqui. Sed coram te fateri debeo Deus meus tanto cum rubore, quanta cum veritate, ſi meam vitæ rationem inſpicio, non alium habuiſſe videor finem, vel ideo mihi adeo nobilem, eximiumque propoſuiſſe, ut crimina mea magis fierent inexcuſabilia, & errores mei magis abnormes, ac turpes. *Pater Nepveu in receſſu.*

Honor, & gloria eſt in religioſo ſtatu ſervire Deo.

Si ſervire Deo regnare eſt, quemadmodum toties audivimus, proculdubio nobis perſuaſum eſſe debet, o Chriſtiani, religioſum in ſtatu hoc gloriam ſuam invenire. Quis enim major excogitari poteſt honor, quam habere finem adeo nobilem, qualis eſt Domino ſervire in domo illius, cum eo familiariter verſari, illum habere ſponſum, non aliud habere patrimonium, & hæreditatem præter ipſum? Hæc ſunt animæ religioſæ bona; hæc autem omnia nonne in ſummum gloriæ decus ei cedunt? Ad hæc vobis, qui religioſi eſtis, neceſſitas inſtat ad ſtatus hujus finem tendendi, ideoque hac in re vobis deliberandum non eſt. Vos id eſtis polliciti; votum hoc emiſiſtis; ad aras id promiſiſtis Deo æque potenti, ac zeloti; leviſſima quævis infidelitas illum ad iracundiam provocabit; eam impunem abire non ſinet; & ſecundum hanc promiſſionem ſeveriſſimo judicio judicabimini. Si modo vobis eſſet moriendum, & coram judice veſtro prodeundum, aliquidne eſſet, quod vobiſmet ipſis exprobraretis, cum hinc quidem ob oculos veſtros vota, regulaſque, inde vero jugem in illis ſervandis infidelitatem oſtenderet? *Idem.*

Submiſſio, & obedientia eſt proprius character animæ religioſæ.

Submiſſionis, & obedientiæ ſpiritus verus eſt animæ religioſæ character. Ex quo illa Deo conſecrata eſt, ingenium, libido, electio, ſtudium, proprius ſenſus, ratio nullam amplius in vitæ ipſius ratione partem habere debet. Pars illius eſt obedientia: hoc Deus ipſe docet per os Prophetæ Iſaiæ cap. 62. *Vocabitur voluntas mea in ea*, ut intelligamus, quemadmodum nomina rerum eſſentiam continent, ita obedientiam omnia eſſentialia vitæ religioſæ officia continere; & quemadmodum in civilibus affinitatibus uxor ſuum, familiæque ſuæ nomen amittit de viri nomine appellanda: ita in ſpirituali animæ cum Jeſu Chriſto affinitate, anima propriam exuit voluntatem, Dei voluntatem indutura. Si ipſam affligit, percutientem deoſculabitur dexteram; ſi conſolatur, Dei quidem benedictiones, ſed multo magis Deum benedictionum amabit. Si intrinſecus loquitur, vocem illius audiet obtemperatura; ſi hominum miniſterio ſuas illi explicat voluntates, hos tamquam Dei ipſius interpretes, & organa exiſtimabit. Nihil eo inconſulto aggredietur; non aget, niſi ut illi ſerviat; non patietur, niſi ut illi placeat, neque alium propriæ voluntatis habebit uſum, quam nullum habere velle. *Flechier, ſermone habito dum monialis quædam religionem ingrederetur.*

Idea, quam mundani habent de virtutibus & exercitiis religionis.

Qui in mundo ſunt, vitæ religioſæ exercitia reſpiciunt vel tamquam ſublimes virtutes, quas imitari immenſi operis eſt, vel tamquam clauſtrorum conſuetudines, quas ipſos ſequi non decet. Dummodo a quibuſdam turpibus, apertiſque criminibus abhorreant, & in operibus ſuis quamdam religionis retineant ſpeciem, ſe ipſos ab omni divinæ legis ſeveritate diſpenſant; aſſidua pericula, funeſtique nexus, quibus vincti ſunt, eos ignaviores efficiunt, atque negligentiores. Illi ſibi quidem perfectionis adſtruunt ideam, non autem ut illam ſequantur, ſed ut inſpiciant, utrum aliquis deficiat; ſibimet ipſis delicati, erga bonos autem ſeveri. Omnes religioſorum auſteritates conſiderant, tamquam neceſſarios vocationis eorum effectus. Adſpirant illi quidem, ut perfectionem conſequantur, inquiunt, & ad id toto niſu contendunt; arctam ingreſſi ſunt viam, eamque ſequuntur; cruces ſuas ſubierunt, eaſque geſtant; hic eorum ſtatus eſt, hæc profeſſio; perinde ac non eſſet omnium hominum profeſſio Deum amare, eique inſervire; perinde ac pœnitentia virtus eſſet, quæ aliquos dumtaxat deceret, non autem inevitabilis Chriſtianis omnibus obligatio; perinde ac ipſi quædam obtinuiſſent privilegia, & jura immunitatis, & pœnitentiam agere minus tenerentur, quia plures habent peccandi occaſiones, majoremque ad peccandum facilitatem. *Idem.*

Quid ſentiant vulgo homines de eo, qui per religionis vota ſe ſe Deo conſecrat.

Cum ad aræ pedes virgo chriſtiana videtur, quæ propter genus, & ingenium eniteſcere potuiſſet in mundo, ſæculi vanitatibus, & luxui abrenunciare, necnon generoſe ſeſe omnibus vitæ pœnitentis, & religioſæ exercitiis auſteris, difficilibuſque ſubjicere, homines vulgo illius miſereſcit; conſideratur tamquam victima, quæ ultro ſe altaribus offert, & innocue ſe ipſam mactat. Vota, quæ ab illa emittuntur, audiuntur tamquam ſententiæ, quas ab eadem in ſe proferuntur. Hæc nomina obedientiæ, paupertatis, mortificationis, quibus mundi aures aſſuetæ non ſunt, nomina ſunt, quæ homines terrent; clauſura illis captivitatis ſpecies videtur, quæ licet initio voluntaria ſit, poſtmodum fit gravis, & oneroſa. Quilibet judex, arbiterque eſſe vult vocationis ejus, ſemperque reformidat, ne hic vel inconſultæ adoleſcentiæ, vel præcipitis devotionis effectus ſit. Spectatores fallaci miſeratione ducuntur, qua vix credunt ab aliis libenter fieri, ad quod faciendum animus ſibi deeſſet. Putant malum eſſe id relinquere, propter cujus perfruitionem ſe beatos putant, atque de aliis ex propria infirmitate judicium ferentes ſemper timent, ne corripiantur ob eas affectiones, quarum vinculis infringendis ſe minime pares eſſe cognoſcunt. *Idem.*

Felicitas, & conſolatio religioſæ, quæ uni Deo placere debet.

Donec filiæ ſæculi occupatæ deſiderio alios videndi, & videndi ab aliis, ſuperbæ ob quædam ſpeciei lineamenta, quæ natura in ipſarum facie efformavit, tamquam in triumphum circumferent inanem, & periculoſam vanitatem; donec non ſuæ tantum faciendæ, verum etiam alienæ voluntatis captivandæ ſtudioſæ poſt ſe trahent ſuarum vanitatum mancipia, ipſæ quoque mancipia proprii amoris ſui, & ambitionis; tu intra breve clauſtri ſpatium concluſa, & in arcta quieſcens cella, ſed mente ſupra creata quæcumque ſublata, ſub veli integumento clauſa, ſed luminibus veritatis illuſtrata, bonorum hujus mundi egena, ſed locuples theſaurorum gratiæ, hominibus ignota, ſed accepta Jeſu Chriſto, in hoc omnem tuam gloriam conſtituas, quod nullam habeas, omneſque curas tuas, ut reſpondeas iis, quæ Deus petit ex te, & gratiis quibus te cumulavit; quia fides tua facit, ut libertati tuæ abrenunciares, eaque te impulit, ut temet Deo penitus devoveres. *Idem.*

Sanctitas vitæ, quæ in religioſis domibus ducitur.

Quid ſunt religiones, & monaſteria? ſunt ſocietates juxta Jeſu Chriſti ſpiritum, & exemplum formatæ, omnibus mutuæ charitatis vinculis adſtrictæ, intentæ jugibus humilis, atque perſeverantis pietatis exercitationibus, ſecundum ſpiritum, non autem ſecundum carnem viventes, calamitoſis hiſce temporibus primorum ſæculorum fervorem, atque innocentiam inſtaurantes. Sacer eſt ordo perſonarum, quas pro ſe quodammodo ſeparavit Deus, & quæ cum ſe ipſas tamquam inviſibiles reliquis mortalibus præſtiterint, in ſolitudinibus ſeſe recipientes, virtutes tantum acquirunt, conſcientiæ ſuæ pacem tantummodo poſſident, ſpiritualia dumtaxat bona præſtolantur, atque in ſemet charitatem excolentes cum fructu exercentur, cum diligentia vitam traducunt, & cum confidentia moriuntur. Nihil ultra requiritur, ut religioſæ vocationis ſublimis idea tribuatur. *Idem.*

Religioſæ vocationis felicitas.

Quomodonam ignorari poteſt magnitudo officiorum religioſæ vocationis, ſi perpendatur attentio, qua placuit Deus has cultui ſuo addictas perſonas? Ipſe eas infinito aliarum numero prætulit, quas in ſæculi corruptione reliquit; ſecrevit eas ab hac maſſa iniquitatis; abluit earum veſtimenta vivis pœnitentiæ ſalutaris undis, ut earum candorem augeret, vel ut abſtergeret labes, quas illæ contraxerant: illis regulas tradidit, quæ totidem ſunt lampades accenſæ omnes earum vias illuminantes; illas intra clauſtri ſepta concluſit veluti inter inacceſſa propugnacula; conſtituit eos, qui indeſinenter ſaluti ipſarum invigilant; inceſſanter loquitur ad cor eorum ſecretis afflatibus, per quos ſuas illis aperit voluntates; ipſe illas excitat, ut eas adimplere velint, eas lectionibus ſanctis erudit, eas hortatur monitis eorum, a quibus reguntur, animat eorum exemplo, cum quibus vitam traducunt, eaſque divinorum myſteriorum participatione confirmat. *Abbas Trappenſis tom. 2. de vitæ monaſticæ officiis.*

Status religioſus eſt mors myſtica, quæ rationem habet cum morte naturali.

De morte myſtica, quæ per votorum conſecrationem accidit, idem eſt dicendum ac de morte naturali, quæ propter defectum principiorum vitæ contingit. Ab hominibus ſeparamur numquam ad illos redituri: in utraque omnibus mundi bonis noſmet abdicamus, & ultro omnes terræ opes relinquimus, omnes cogitationes in cœleſtes divitias convertimus . . . . Verba, quæ Dei ſpiritus ponit in ore eorum, qui per vota moriuntur, & eorum, qui per luminis privationem decedunt, eadem ſunt quod ſenſum, licet eorum diſcrepet ſonus, ita ut ambigi nequeat, quominus utrobique iidem ſint ſenſus, & affectiones eædem. Homo in mundo moriens morte naturæ, ſeſe in manibus ejus tradens confidentiæ motu inquit Salvatori: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, Luc. 23. atque in hac integra ſeparatione, quam ingreditur, teſtatur, Deum ſibi eſſe omnia, ac ſe in eo omnem ſpem ſuam collocare. Homo vero per religioſam profeſſionem mundo moriens ad eumdem ſeſe convertit Salvatorem, ac ſe inter ejus brachia projicit, ſolemni proteſtatione profeſſus, omnia a ſe relinqui, & ab uno illo ſibi felicitatem, ſalutem, vitamque eſſe expectandam. *Idem.*

Qui religioſæ deſunt vocationi in ſalutis periculo verſantur.

Qui divinis non obtemperant voluntatibus, ſeſe graviſſimis objiciunt periculis. Non negavit illis Deus gratias, quæ ipſis erant neceſſariæ; ſed collatis ſibi gratiis non reſponderunt, & quin ſequerentur vias, quæ ſibi monſtratæ fuerunt, prorſus alias ſecuti ſunt. Tradit eos Deus cogitationibus illorum; ipſi vero voluntatem ſuam ducem ſequuntur: *Dimiſit eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis*. Pſalm. 80. Itaque juſtiſſimo Dei judicio quocumque gerunt ſuæ reſiſtentiæ pœnam, ambulant per ſemitas, viaſque remotas, quæ, tantum abeſt, quod ad vitam deducant, ut illos in mortis tenebras impellant, & præcipites agant. *Idem.*

Paucis ſatis animi, ac fortitudinis eſſet ad eas, quæ occurrunt, oppoſitiones ſuperandas, cum agitur de amplectendo immutabili vitæ genere, quod æque moleſtum, atque laboribus refertum ſit, uti eſt vita religioſa, ubi uti opus eſt, atque decet ſecundum veritatem ducatur. Etenim quemadmodum plerumque tentationes augentur, & difficultates percrebeſcunt, majoreſque fiunt, cum prope eſt, ut ſeſe religioſus adſtringat, atque, ut ita dicam, mortis ſuæ proferat ſententiam vota ſua proferens, tunc vocatio eum ſuſtinet, roborat, atque confirmat. *Idem.*

Qui Religionem ingreditur ſecum ſua adfert vitia, quæ corrigere debet.

Cum aliquis mundo vale dicit, ideæ, defectus, imperfectiones ſuæ in ipſum uſque receſſum ſequuntur, & niſi oculos clauſerit varietati objectorum, quæ illius ſenſus perſtringunt, illæ iterum convaleſcent, robur, ac vires acquirent: illius imaginatio phantaſmatis replebitur, mens inanes fovebit cogitationes, cor motus, & irregularia deſideria concipiet, ita ut in portu æque diſſipatus, inquietus, agitatus ſit, perinde ac procella adhuc agitaretur. *Idem.*

Quibus periculis obnoxii ſunt illi, qui contra

ſuæ

ſuæ profeſſionis officia mundi impedimentis ſe immiſcent: quandoquidem hujuſmodi commercia religioſi hominis pietatem evertunt? Illis induendi ſunt mores eorum, quibuſcum vivunt, cordis ſui ſui puritas commaculanda eſt mundanis converſationibus, extinguendus eſt Jeſu Chriſti ſpiritus, qui unicum eſſe debet ipſorum vitæ principium, ut alio repleantur ſpiritu, qui illi eſt omnino contrarius; atque operibus omnibus perſona, ac ſtatus ſui dignitas eſt in contemptum adducenda. *Idem.*

Singulare beneficium Dei eſt, quod nos ad religionem vocaverit.

Nemo, qui reliquerit mundum, glorietur, S. Athanaſius ajebat, gratias potius Deo agat. Hic idem jure vobis dicere poſſem: ne gloriemur de illis, quæ fecimus propter Deum religionem ingreſſi, ſed potius laudibus, & benedictionibus cumulemus Deum, qui nos vocavit. Noſmet Domino devoventes bona quidem reliquimus, ſed ea bona, quorum poſſeſſio oneroſa eſt ſarcina ſecundum Dei ipſius verba, quorum amor crimen eſt ſecundum evangelium; quorum jactura doloris, & amaritudinis cauſa eſt. Bona reliquimus, quæ poſſideri nequeunt, quin eorum pondere obruamur; bona, quæ amari non poſſunt, quin eorum cupiditate fœdemur: bona, quorum jacturam vel pati, vel cogitare non poſſumus, quin futura eorum amiſſione turbemur: *Bona, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant.* Itaque gratia, & beneficium eſt, quod Deus nobis mentem, & voluntatem injecerit illa ultro relinquendi; & cum has omnes recogito veritates, quas fide edocemur, quid mihi inferendum eſt? Niſi lætandum eſſe ob ſingularem hanc gratiam, quam mihi elargitus eſt Deus me ad religioſum evocans ſtatum, qui me tot præliis eripuit, atque ex tot ſcopulis eduxit; & infinitæ gratiæ agendæ ſingulari huic Dei miſericordiæ, quæ effecit, ut conſilium caperem non perfectius tantum, & tutius, verum etiam facilius, atque magno meæ ſalutis operi utilius. Etenim facilius eſt terrenis exui bonis, quam illa ſine affectu poſſidere; facilius eſt mundi voluptatibus prorſus carere, quam uti, & abſtinere, & quam inter honores, dignitateſque verſari, nec intumeſcere; facilius eſt ſeſe alienæ voluntati ſubmittere, quam voluntatem intra eos cancellos, intra quos retinenda eſt, retinere; uti hoc mundo, quaſi non uteremur, quod quilibet Chriſtianus facere debet; ſed quotuſquiſque hoc eo modo præſtat, quo debet? Hæc poſſidere bona, quaſi non poſſideremus illa, altera eſt conditio illi inhærens, qui ſalvus eſſe voluerit; ſed ubinam in mundo mortales, qui hoc ſentiant, invenientur? *P. Bourdalove, ſermone de religioſa profeſſione.*

Gratiarum actio pro beneficio adeo ſingulari.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi. O Domine, dicere illi debes, *dirupiſti vincula mea*, ideoque tibi *ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.* Pſal. 115. Ideo ad aras tuas proſtrata incipio mei ipſius ſacrificium offerre tibi. Cur autem non ſtatim, quin ulterius differam? Numquid in mea poteſtate non eſt funeſtam hanc exere libertatem, quæ poteſt adhuc me verſus aliud quodpiam præter te objectum impellere? At me adhuc differre vis, neque me tibi ſolubilibus vinculis adſtringi ſinis, niſi mei periculum feceris; hoc ſaltem ſolatii mihi tribue, ut ſenſu, & animo id facere valeam, quod nonniſi poſt aliquod tempus facere mihi licet; mihique integrum ſit dicere corde, & affectu: *Vota mea Domino reddam.* Tunc enim illi ſacrificium pro ſacrificio, pro amore amorem retribuam. Tunc licebit mihi nulli rei parcere propter illum, quemadmodum ille propter me nulli pepercit, & fieri victima ipſius, quemadmodum ipſe fuit mea. Sed ſpiritus fervoris, & charitatis, quo repleta es, longe nobiliores ſenſus, & verba ſuggeret tibi. *Idem.*

Eramus in mundo, velut arbor non ſterilis tantum, verum etiam peccato originali corrupta, atque fœdata; Deus autem ſingulari miſericordia nos tot aliis prætulit, atque tranſtulit, ut ita dicam, in uberem agrum Eccleſiæ, nos Chriſtianos efficiens: & præterea, providentia majoris adhuc charitatis referta, in religionis agrum quandoquidem nos hoc honore dignatus eſt, ut hunc ſtatum amplecteremur. Satiſne intelleximus unquam, quantum ſit bonum, translatos veluti fuiſſe in terram adeo ſanctam, tot laboribus excultam, necnon ſudoribus, ipſoque Dei ſanguine irrigatam? Hæc ea eſt terra, quæ tot illuſtres chriſtianæ religioni tulit heroas, & quæ fert adhuc quotidie homines ſanctitatis laude præſtantes cujuslibet ætatis, & ſexus. Magnæ iſtæ animæ eadem cultura, qua ipſi exculti ſumus, videlicet cum iiſdem ſubſidiis tulerunt, & ferunt adhuc adeo uberes fructus. Tu, cui beata ſors contigit, ut religioſus eſſes, inſpice perfecta hæc exemplaria: his non aliæ fuerunt regulæ, quam quas habes, has fidelius tantummodo obſervarunt, eaſque obſervando ad tantum ſanctitatis cacumen evaſere. *Idem.*

Quid eſt religio, quo Deus per miſericordiam ſuam nos adduxit? Locus eſt, ubi aſſidue humilitatis, & abnegationis ſuimet ipſius exempla videntur; ubi nonniſi homines ſacco, & cilicio induti inveniuntur; ubi omnia miniſteria cum labore, & humilitate conjuncta ſunt, ubi ipſa ambitio contemptus amore ſuffocatur. Locus eſt, ubi nonniſi pauperes ſpiritu occurrunt, juſtitiam eſurientes, atque ſitientes, animæ per meditationem, & orationem ſupra carnem, ſanguinemque elevatæ, pœnitentes ſine tepore, hoſtiæ viventes, quæ per gratiam quidem ſemper vivunt, per auſteritatem vero ſemper moriuntur. Locus eſt, ubi quiſque indeſinenter vacat imitationi vitæ filii Dei; vita cujus jugis crux eſt, & profunda humiliatio. Omnibus ergo illius doloribus affecti eſſe debemus: ſuperbiæ prælationes, ambitioni imperium, voluptati oblectationes omnes auferendæ ſunt: auferendus quoque meo cordi mundus, & mundo cor meum, ut pro Jeſu Chriſto dumtaxat impoſterum vivam. *Ex ſermonibus chriſtianis, tomo 3. ſermone de S. Bernardo.*

S. Paulus ait, Noe damnaſſe ævi ſui mundum per Arcam, quam ædificabat; *Per quam damnavit mundum*; & ratio, quam tribuit S. Auguſtinus, eſt, quod ictus ſinguli, quibus ratis illa compingebatur, totidem erant monita, quibus peccatores prope eſſe, ut in ipſorum crimina Deus animadverteret, admonebantur. Hoc ipſum (chariſſima Soror) dici poteſt de omnibus ſacrificii tui circumſtantiis, deque actionibus omnibus, quæ in toto vitæ tuæ curſu deinceps loquentur. Hæc ſunt totidem veluti ora diſerta mundi mores, & placita, necnon mundi ſectatores damnantia; humile indumentum tuum ornatuum illius luxum, & vanitatem damnat; tuæ in Dei cultu vigiliæ eorum in ludis, profaniſque ſpectaculis vigilias damnant: receſſus tuus juges eorum diſſipationes damnat: auſteritas tua eorum mollitiem, obedientia tua eorum licentiam, voluntaria paupertas tua eorum erga perituras opes damnat affectum. Ne una quidem ex actionibus tuis eſt, quæ illas non confundat, & de quibus dici nequeant hęc Apoſtoli ad Hebr. 11. verba: *Per quem damnavit mundum.* Verum eſt, primos fideles tales fuiſſe, quales hodie religioſos homines eſſe cupimus; homines fuiſſe admirabiles, ut Tertulliani verbo utar, homines generoſos, quod terrena contemnebant, atque in vita ſua prę ſeferre adnitebantur, quidquid in Evangelio ſanctius eſt, ut mundum, ejuſque placita confunderent. Sed ex quo primus ille fervor intepuit per Eccleſię tranquillitatem, quę illorum cor emolliit, perfectio illa, quę tanta luce in primorum fidelium vita coruſcavit, facta eſt pars eorum, qui inter clauſtra, ſolitudineſque confugiunt; & quę ante objectum erat nobilis ambitionis omnium fidelium, ad id redacta eſt, ut eſſentiale fieret religioſi ſtatus officium. *Idem ſermone habito, cum monialis religionem ingrederetur.*

Religioſus virtute ſua profeſſionis honorem ſuſtinere debet.

Religioſus numquam conditionis ſuę ſuſtinebit honorem, ut decet, niſi fuerit ęque magnus per virtutem ſuam, ac per eminentiam ſuę profeſſionis, qua adducitur in gradum ſęcularibus omnibus ſuperiorem, & niſi ex omnibus actionibus ſuis mundo ſpectaculum fecerit confuſionis. Virtutes, quę reliquis hominibus ornamento ſunt, religioſis arctæ ſunt neceſſitatis. Cum hi ſint nobilior pars dominici gregis, & formoſiores agri eccleſiaſtici flores, honor, & ornamentum gratię, ut S. Cypriani vocibus utar, vi ſtatus ſui tenentur contra ſæculi mores, atque licentiam Dei gloriam, & religionis cauſam tueri. Præbere debent adeo heroica virtutis exempla, ut ex Sancti Bernardi ſententia, illis non ſolum vitio vertendum eſſet, ſi nullam virtutem haberent, verum etiam niſi majorem præ reliquis vulgo zelum, virtutemque præſeferrent. *Idem.*

Religioſus non debet corde, & affectu in mundum reverti.

Quemadmodum primus homo ex terreſtri egreſſus Paradiſo illuc redire non potuit, quia Cherubim, quem Deus præ foribus conſtituerat, aditum illi intercludebat; ita ratione prorſus alia, ſed prorſus ſimili effectu, cum anima chriſtiana religionem ingreſſa, quæ eſt terreſtris hominis Paradiſus, a mundo receſſit, vetat Deus, illam eo vel cogitatione, vel affectu reverti. Poteſt quidem corpus illius eſſe in terra, ſed anima ejus nonniſi Deo vacare poteſt, & ſi quod habet adhuc cum mundo commercium propter munus ſuum, illum virtute ſua illuſtrare, bonis exemplis ædificare, & vitæ ſanctitate confundere debet. Cæterum opus eſt mentem illius ſemper Deo intentam eſſe, atque unum illum cogitare. *Idem.*

Religioſi felicitas quia ab omnibus ſæculi periculis, & impedimentis immunis eſt.

Anima religioſa, quæ ſeipſa ſupra mundum extulit, illius motus, & affectiones amplius non reformidat. Receſſus illius portus tutiſſimus eſt, ex quo inſurgentes proſpicit procellas, ac tempeſtates, quin in illis ſe naufragium facere metuat, S. Ambroſius ait: *Neſcit naufragia, qui ſemper in portu tranquillitatis eſt.* Hæc eſt religioſi ſtatus felicitas; electio tua ſapiens eſt, ac prudens; hæc te non periculis tantum mundi liberat, ſed etiam impedimentis ... Si enim nefas eſt laicis acerræ admovere manum, ac religionis negotiis ſeſe miſcere; magis adhuc religioſam animam dedecet ſeſe negotiis ſæcularibus implicare. Mundi arma non decent eos, qui Jeſu Chriſti cultui ſeſe devoverunt; qui ſi deferunt illa, metuendum eſt, ne iiſdem male utantur, non ſecus ac David arma Saul uti non poterat, quæ abjecit ſumpturus ea, quæ ſtatum ſuum decebant. *Idem.*

Religioſus Deo facit vivens corporis ſui ſacrificium.

S. Paulus Chriſtianos hortatur, ut ex corporibus ſuis non mortuam exhibeant hoſtiam, ſed victimam viventem: *Obſecro ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem*, ad Rom. 12. Hoc ipſum dicere poſſumus de religioſis, vel potius hoc illud eſt, ad quod ſtatus eorum tenetur. Opus eſt, primam Deo devotam hoſtiam fieri, ac ſuimet ſacrificium offerre; ſed hæc hoſtia vivens ſit, oportet, hoc eſt, non debet re ipſa ad mortem, ſed tantum ad ſtatum mortis redigi per ſenſuum, affectuumque ſuorum ſacrificium: *Mirum ſacrificium*, S. Chryſologus inquit, *ubi corpus ſine corpore, ſine ſanguine ſanguis offertur.* Si mors iſta vobis crudelis videtur, vis, quam tribuit, omnes illius auſteritates mulcere poteſt. Si horres pœnitentiam, quæ hanc tibimet ipſi, & cupiditatibus tuis mortem adfert; ſi mors hæc terribilis tibi videtur, facile eſt eam amabilem reddere ſpe vitæ æternum beatæ, quæ aliquando illius præmium futura eſt, & vitæ pacatæ, tranquillæ, ſpiritualis, & prorſus divinæ, quam ſibi in hoc mundo procurabit. Ita religionis ſtatus eſt vitæ ſimul & mortis ſtatus; conditio eſt, quam qui amplectuntur, per obedientiam ſuam propriæ voluntati moriuntur. *Idem.*

Status religioſus tutus eſt portus contra pericula, quibus mundus repletus eſt.

Quam primum beatum hunc portum ingredere, ex quo videbis procellas, quibus mundus æſtuat, quin naufragium extimeſcas, beatum hunc portum, ubi contemnens quidquid hominum ingenia tanto ardore conquirit, videbis ob oculos tuos præterire mundi figuram velut umbram, & pompas ejus tamquam fluctus agitati maris, qui ſimul ſeſe attollunt, atque demittunt. Non eris ultra obnoxius periculis omnibus, quibus mundus refertus eſt. Solitudo, & receſſus iſtius religioſæ domus tibi interdicet præſentiam omnium objectorum, quæ per oculos mentem, & cor tuum conantur decipere. Hoc perfugium eſt, ubi ab omni labe puram tueberis innocentiam, quam in reliquum vitæ tuæ ſpatium Domino vis devovere ... In mundo nimium ſepti ſumus iis rebus, quæ ſenſus, & affectiones noſtras palpant, ita ut illis perſtringi nequeamus. Qui ſunt in medio mari, undique circum aquam tantummodo vident; & qui in ſæculo vivunt, circumundique ſepti ſunt periculis, uti Apoſtolus inquit: *Circumſtant nos peccatum* ad Hebr. 12. Illi fere ſemper in peccati occaſione verſantur, ſemper tempeſtatibus agitati, ac ſemper in naufragii periculo poſiti. *Idem.*

De jugo filii Dei longe aliter ſentiendum eſt, ac de illo, quod nobis injicit mundus. Hoc quidem grave eſt, illud autem leve; hoc nos opprimit, illud nos erigit; hoc pondus eſt, quo detinemur humi, illud alas habet, & Cœlum verſus nos evehit. Hac de cauſa Patres vulgo hoc in argumento avium uſurpant ſimilitudinem, quæ alas ferunt, & feruntur ab alis: quo magis plumis abundant alæ, melius volant, & quo plus ponderis habent, eo plus habent levitatis. Hoc ipſum dicendum eſt de votis, vinculiſque religionis, quæ vincula ſunt, quæ non ſolum non retinent, ſed ferunt eos, a quibus feruntur. Quod ſi vultis adhuc me vobis hanc explicare veritatem ea ſimilitudine, quæ facilius innoteſcat, fingite vobis navim velis, funibuſque repletam; nonne diceres harum rerum omnium pondus eam remorari, vel ſaltem curſus illius celeritatem retardare debere? Attamen hæc eſt cauſa celeritatis; carbaſa ea ſunt, quæ illam quocumque volare faciunt, & ſine quibus a portu numquam diſcederet. Quod ſi ſimilitudines has religioſo ſtatui applicuerimus, videbimus nihil eſſe, quantumvis oneroſum videatur, cui religio quamdam non impertiat facilitatem, & quo tamquam adminiculo uti non liceat, ut facilius Jeſu Chriſti jugum feramus. *Idem.*

Mortis ſpecies eſt religioſam vitam amplecti.

In eo facto, quod aggrederis, videre videor quidquid in morte amarum eſt, immo aliquid adhuc terribilius. Cur enim mortem adeo nobis terribilem videri putas? Hac una de cauſa, quia vitam nobis aufert, & cum vita omnia vitæ ipſius bona, omneſque voluptates. *Qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus gravati, eo quod nolumus explicari*, Apoſtolus 2. ad Corint. 4. inquit. Quamquam ſub corporis pondere obruti ſimus, ubi moriendum eſt, adhuc tamen ingemiſcimus, quia bonis ejici minime vellemus. Ita videmus, quo plura poſſidentur ab hominibus bona, hos eo magis mortem perhorreſcere. At ullane magis univerſalis fingi poteſt expoliatio, quam religioſi viri eo momento, quo vota religionis emittit? Nihil amplius poſſidet, nihil amplius in poſterum poſſidere poteſt; abrenunciavit rebus omnibus, quas ſibi mundus contulerat, & quod multo magis eſt, rebus omnibus, quas mundus ipſi pollicebatur, abrenunciavit. Omnia bonorum genera reliquit. Hominum plerique mortem adeo extremæ paupertati præferendam cenſerent. Attamen nondum ille mortuus eſt, qui quæcumque in mundo poſſidebat, amiſerit: ſed religioſus amittit etiam ſpem nihil umquam poſſidendi, quæ ſpes nonniſi cum morte amittitur. *P. de la Colombiere tom. 2. ſerm. 40. pro monialis profeſſione.*

Mirum eſſe non debet ſi diu pugnandum eſt, antequam ſtatum hunc amplectaris.

Mirumne eſſe debet, ſi qui rem adeo difficilem aggredi meditatur, nonnumquam diutius hæreat, ac pugnet, antequam conſilii ſui certus fiat? Neque enim diſſimulandum eſt, hanc mortem vulgo crudelis agon præcedit. Non ſemel ipſe teſtis fui, nec memini umquam me vidiſſe, quod majori me afficeret miſeratione. Natura in hujuſmodi caſibus miros edit conatus, ut eam ſuffocet gratiam, a qua ſuffocanda eſt. Mundus, & voluptas ſeſe exhibent cum illis illecebris, quæ non ſatis roboratam adoleſcentum conſtantiam valent concutere. Altera ex parte religio menti illius horribiles humiliationis, abſtinentiæ, & ſolitudinis imagines exhibet. Omnis homo fremit ad aſpectum quinquaginta, vel ſexaginta annorum auſteritatis, & ad ſolam vitæ ab omni voluptatum genere abhorrentis cogitationem. Vale, æternum vale dicendum eſt patri, matrique, fratribus ſuaviſſimis, neceſſariis, amicis, familiariſſimis; ne una quidem in venis eſt ſanguinis gutta, quæ non perhorreſcat, & ob duram adeo ſeparationem non rigeat. Attamen non ſine conſtantia tantum opus aggredimur. Sed qui tumultus, quæ interiores anguſtiæ, quot dimidiata ſuſpiria, quot ſecretæ lacrymæ, quot mortales ſudores! Sed mactæ eſtote, animæ prædeſtinatæ; conſtantiæ momentum per mortem heroicam vos ad beatam traducet immortalitatem. *Idem.*

Quod mundum reliquimus non ideo perfecti ſumus, multum adhuc itineris ſupereſt faciendum.

Illi, qui mundo abrenunciare meditantur, vulgo putant ſe, poſtquam omnia reliquerint, jam ſummum perfectionis apicem attigiſſe: quod ipſum cenſent plerique eorum, qui in ſæculo vivunt: neque enim intelligere poſſunt, quomodo ille, qui propter Jeſu Chriſti amorem pauper factus eſt, qui ſe ſubdidit, ſervumque fecit, & cui adhuc multum itineris perficiendum ſit, ut ad ſanctitatem perveniat, adhuc in primo gradu ſubſiſtat. Attamen hoc nil verius. Cum S. Paulinus omnia bona ſua reliquiſſet, Severo Sulpicio amiciſſimo per epiſtolam factum gratulanti his verbis reſpondit. Terrena reliquiſſe omnia, hoc non eſt ſtadium percurriſſe; ſed ſolum ingreſſum eſſe. Athleta, qui indumenta abjecit, non ideo victoriam reportavit: ſed ſe in eum tantummodo ſtatum adduxit, ubi melius confligere poſſet. Qui fluvium tranaturus eſt, veſtimenta deponit, at non ideo in alteram fluminis ripam evaſit: manus, lacerti, crura projicienda ſunt, & toto contendendum an-